

BREVIARIUM ROMANUM

EX DECRETO
SS. CONCILII TRIDENTINI
RESTITUTUM
SUMMORUM PONTIFICUM CURA
RECOGNITUM



Cum textu Psalmorum e Vulgata Bibliorum editione


EDITIO JUXTA TYPICAM

1961

DECRETA S.R.C.

SACRA RITUUM
CONGREGATIO

N. Varia 54/960

um virtute Motu Proprio Joannis Pp. XXIII **Rubricarum instructum**, diei 25 julii 1960, post approbatum et promulgatum rubricarum corpus, Editoribus liturgicis rite approbatis permissum fuerit nova edere Breviaria et Missalia eidem rubricarum Codici conformata, hæc S. Rituum Congregatio peculiare *Ordinationes ad librorum liturgicorum Editores* direxit, ut necessaria librorum liturgicorum uniformitas in tuto collocaretur.

Ut vero hi novi libri in usum liturgicum assumi possint, necesse erat debita earundem editionum recognitio, quam, *pro hac vice*, hæc eadem S. Rituum Congregatio sibi reservavit.

Proposito itaque sibi priore volumine Breviarii romani Domus editorialis MAME, hæc eadem S. Rituum Congregatio, sedulo instituto examine, declarare posse censuit hanc editionem adeo esse novo rubricarum corpori atque hujus S. Dicasterii præscriptionibus conformem, ut in usum liturgicum assumi possit.

In fidem, etc.

Romæ, ex ædibus Sacræ Rituum Congregationis, die 4
februarii anni 1961.


† C. Card. CICOGNANI, S.R.C. Præfectus.
Henricus Dante, S.R.C. a secretis.

L.  S.



SACRA RITUUM
CONGREGATIO

N. Varia 54/960

um virtute Motu Proprio Joannis Pp. XXIII
Rubricarum instructum, diei 25 julii 1960, post
approbatum et promulgatum rubricarum
corpus, Editoribus liturgicis rite approbatis
permissum fuerit nova edere Breviaria et
Missalia eidem rubricarum Codici conformata, hæc S.
Rituum Congregatio peculiare *Ordinationes ad librorum
liturgicorum Editores* direxit, ut necessaria librorum
liturgicorum uniformitas in tuto collocaretur.

Ut vero hi novi libri in usum liturgicum assumi possint, necesse erat debita earundem editionum recognitio, quam, *pro hac vice*, hæc eadem S. Rituum Congregatio sibi reservavit.

Proposito itaque sibi altero volumine Breviarii romani Domus editorialis MAME, hæc eadem S. Rituum Congregatio, sedulo instituto examine, declarare posse censuit hanc editionem adeo esse novo rubricarum corpori atque hujus S. Dicasterii præscriptionibus conformem, ut in usum liturgicum assumi possit.

In fidem, etc.

Romæ, ex ædibus Sacræ Rituum Congregationis, die 8 julii anni 1961.

† C. Card. CICOGNANI, S.R.C. Præfectus.
Henricus Dante, S.R.C. a secretis.

L.  S.



PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Quod a Nobis postulat ratio pastoralis officii, in eam curam incumbimus, ut omnes, quantum Deo adiutore fieri poterit, sacri Tridentini Concilii decreta exsequantur: ac multo id etiam impensius faciendum intelligimus, cum ea quæ in mores inducenda sunt, maxime Dei gloriam, ac debitum ecclesiasticarum personarum officium complectuntur. Quo in genere existimamus in primis numerandas esse sacras preces, laudes, et gratias Deo persolvendas, quæ Romano Breviario continentur. Quæ divini Officii formula pie olim ac sapienter a Summis Pontificibus, præsertim Gelasio ac Gregorio primis constituta, a Gregorio autem septimo reformata, cum diuturnitate temporis ab antiqua institutione deflexisset: necessaria visa res est, quæ ad pristinam orandi regulam conformata revocaretur. Alii enim præclaram veteris Breviarii constitutionem, multis locis mutilam, alii incertis et alienis quibusdam commutata, deformatarunt: plurimi specie Officii commodioris allecti, ad brevitatem novi Breviarii, a Francisco Quignonio tituli sanctæ Crucis in Ierusalem Presbytero Cardinale compositi, confugerunt. Quin etiam in provincias paulatim irreperat prava illa consuetudo, ut Episcopi in Ecclesiis, quæ ab

initio communiter cum ceteris veteri Romano more Horas Canonicas dicere ac psallere consuevissent, privatum sibi quisque Breviarium conficerent, et illam communionem uni Deo, una et eadem formula preces et laudes adhibendi, dissimillimo inter se, ac pene cuiusque episcopatus proprio Officio discerperent. Hinc illa tam multis in locis divini cultus perturbatio; hinc summa in Clero ignorantio cæremoniarum ac rituum ecclesiasticorum, ut innumerabiles Ecclesiarum ministri, in suo munere indecore, non sine magna piorum offensione, versarentur. Hanc nimirum orandi varietatem gravissime ferens felicitis memoriæ Paulus Papa quartus, emendare constituerat. Itaque provisione adhibita, ne ulla in posterum novi Breviarii licentia permetteretur, totam rationem dicendi ac psallendi Horas Canonicas ad pristinum morem et institutum redigendam suscepit. Sed eo postea, nondum iis quæ egregie inchoaverat perfectis, de vita decedente, cum a piæ memoriæ Pio Papa quarto Tridentinum Concilium, antea varie intermissum, revocatum esset, Patres in illa salutari reformatione ab eodem Concilio constituta, Breviarium ex ipsius Pauli Papæ ratione restituere cogitarunt. Itaque quidquid ab eo in sacro opere collectum, elaboratumque fuerat, Concilii Patribus Tridentum a prædicto Pio Papa missum est. Ubi cum doctis quibusdam et piis viris a Concilio datum esset negotium, ut ad reliquam cogitationem, Breviarii quoque curam adiungerent, instante iam conclusione Concilii, tota res ad auctoritatem iudiciumque Romani Pontificis ex decreto eiusdem Concilii relata est: qui illis ipsis Patribus ad id munus delectis, Romam vocatis, nonnullisque in Urbe idoneis viris ad eum numerum adiunctis, rem perficiendam curavit. Verum eo etiam viam universæ carnis ingresso, Nos, ita divina disponente clementia, licet immerito ad Apostolatus apicem assumpti, cum sacrum opus, adhibitis etiam ad id aliis peritis viris, maxime urgeremus, magna in Nos Dei benignitate (sic enim accipimus) Romanum hoc Breviarium vidimus absolutum. Cuius ratione dispositionis, ab illis ipsis, qui negotio præpositi fuerant, non semel cognita, cum intelligeremus eos in rei confectione ab antiquis Breviariis nobilium Urbis Ecclesiarum, ac Nostræ Vaticanæ bibliothecæ non discessisse, gravesque præterea aliquot eo in genere scriptores secutos esse, ac deinde remotis iis quæ

aliena et incerta essent, de propria summa veteris divini Officii nihil omisisse: opus probavimus, et Romæ imprimi, impressumque divulgari iussimus. Itaque ut divini huius operis effectus re ipsa consequatur, auctoritate præsentium tollimus in primis et abolemus Breviarium novum a Francisco Cardinale prædicto editum, et in quacumque Ecclesia, Monasterio, Conventu, Ordine, Militia, et loco virorum et mulierum, etiam exempto, tam a primæva institutione, quam aliter ab hac Sede permissum: Ac etiam abolemus quæcumque alia Breviaria, vel antiquiora, vel quovis privilegio munita, vel ab Episcopis in suis Diæcibus pervulgata, omnemque illorum usum de omnibus orbis Ecclesiis, Monasteriis, Conventibus, Militiis, Ordinibus, et locis virorum et mulierum, etiam exemptis, in quibus alias Officium divinum Romanæ Ecclesiæ ritu dici consuevit aut debet: illis tamen exceptis, quæ ab ipsa prima institutione, a Sede Apostolica approbata, vel consuetudine, quæ, vel ipsa institutio, ducentos annos antecedit, aliis certis Breviariis usa fuisse constiterit: quibus ut inveteratum illud ius dicendi et psallendi suum Officium non adimimus, sic eisdem, si forte hoc Nostrum, quod modo pervulgatum est, magis placeat, dummodo Episcopus, et universum Capitulum in eo consentiant, ut id in Choro dicere et psallere possint, permittimus. Omnes vero, et quascumque Apostolicas et alias permissiones ac consuetudines, et statuta etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel alia firmitate munita, necnon privilegia, licentias et indulta precandi et psallendi, tam in Choro, quam extra illum, more et ritu Breviariorum sic suppressorum, prædictis Ecclesiis, Monasteriis, Conventibus, Militiis, Ordinibus, et locis, necnon S. R. E. Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, et aliis Ecclesiarum Prælatibus, cæterisque omnibus et singulis personis ecclesiasticis, sæcularibus et regularibus utriusque sexus, quacumque causa concessa, approbata, et innovata, quibuscumque concepta formulis, ac decretis, et clausulis roborata, omnino revocamus: volumusque, illa omnia vim et effectum de cetero non habere. Omni itaque alio usu quibuslibet, ut dictum est, interdicto, hoc Nostrum Breviarium ac precandi psallendique formulam in omnibus universi orbis Ecclesiis, Monasteriis, Ordinibus, et locis etiam exemptis, in quibus Officium ex more et ritu dictæ Romanæ

Ecclesiæ dici debet, aut consuevit, salva prædicta institutione, vel consuetudine prædictos ducentos annos superante, præcipimus observari. Statuentes Breviarium ipsum nullo unquam tempore vel totum vel ex parte mutandum, vel ei aliquid addendum, vel omnino detrahendum esse; ac quoscumque, qui Horas Canonicas ex more et ritu ipsius Romanæ Ecclesiæ, iure vel consuetudine dicere vel psallere debent, propositis pœnis per Canonicas sanctiones constitutis in eos, qui divinum Officium quotidie non dixerint, ad dicendum et psallendum posthac in perpetuum Horas ipsas diurnas et nocturnas, ex huius Romani Breviarii præscripto et ratione omnino teneri: neminemque ex iis, quibus hoc dicendi psallendique munus necessario impositum est, nisi hac sola formula satisfacere posse. Iubemus igitur, omnes et singulos Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Abbates, et ceteros Ecclesiarum Prælatos, ut omissis, quæ sic suppressimus et abolevimus, ceteris omnibus etiam privatim per eos constitutis, Breviarium hoc in suis quisque Ecclesiis, Monasteriis, Conventibus, Ordinibus, Militiis, Diœcesibus, et locis prædictis, introducant: et tam ipsi, quam ceteri omnes presbyteri, et clerici, sæculares et regulares, utriusque sexus, necnon milites et exempti, quibus Officium dicendi et psallendi quomodocumque, sicut prædicitur, iniunctum est, ut ex huius Nostri Breviarii formula, tam in Choro, quam extra illum, dicere et psallere procurent. Quod vero in Rubricis Nostri huius Officii præscribitur, quibus diebus Officium beatæ Mariæ semper Virginis, et Defunctorum, item Septem Psalmos Pœnitentiales et Graduales dici ac psalli oporteat: Nos propter varia huius vitæ negotia, multorum occupationibus indulgentes, peccati quidem periculum ab ea præscriptione, removendum duximus; verum debito providentiæ pastoralis admoniti, omnes vehementer in Domini cohortamur, ut remissionem Nostram quantum fieri poterit, sua devotione ac diligentia præcurrentes, illis etiam precibus, suffragiis, et laudibus, suæ et aliorum saluti consulere studeant. Atque ut fidelium voluntas ac studium magis etiam ad salutarem hanc consuetudinem incitetur, de omnipotentis Dei misericordia, beatorumque Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus, qui illis ipsis diebus, in Rubricis præfinitis, beatæ Mariæ, vel Defunctorum

Officium dixerint, toties centum dies; qui vero Septem Psalmos, vel Graduales, quinquaginta, de iniuncta ipsis pœnitentia relaxamus. Hoc autem concedimus sine præiudicio sanctæ consuetudinis illarum Ecclesiarum, in quibus Officium parvum beatæ Mariæ semper Virginis in Choro dici consueverat, ita ut in prædictis Ecclesiis servetur ipsa laudabilis et sancta consuetudo celebrandi more solito prædictum Officium. Ceterum, ut præsentis litteræ omnibus plenius innotescant, mandamus illas ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, et Cancellariæ Apostolicæ, et in acie Campi Floræ publicari, earumque exemplar de more affigi. Volumusque, et Apostolica auctoritate decernimus, quod post huiusmodi publicationem, qui in Romana Cura sunt præsentis, statim lapso mense: reliqui vero, qui intra montes, tribus; et qui ultra ubique locorum degunt, sex mensibus excursis, vel cum primum venalium huius Breviarii voluminum facultatem habuerint, ad precandum et psallendum iuxta illius ritum, tam in Choro quam extra illum, maneant obligati. Ipsarum autem litterarum exempla manu Notarii publici, et sigillo alicuius Prælati ecclesiastici, aut illius curiæ obsignata, vel etiam ipsis voluminibus absque prædicto, vel alio quopiam adminiculo Romæ impressa, eandem ubique locorum fidem faciant, quam ipsæ præsentis, si essent exhibitæ et ostensæ. Sed ut Breviarium ipsum ubique inviolatum et incorruptum habeatur, prohibemus, ne alibi usquam in toto orbe, sine Nostra, vel specialis ad id Commissarii Apostolici, in singulis Christiani orbis regnis et provinciis deputandi, expressa licentia imprimatur, proponatur, vel recipiatur. Quoscumque vero, qui illud secus impresserint, proposuerint vel receperint, excommunicationis sententia eo ipso innodamus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostræ ablationis, abolitionis, permissionis, revocationis, iussionis, præcepti, statuti, indulti, mandati, decreti, relaxationis, cohortationis, prohibitionis, innodationis, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursum.

Datum Romæ, apud S. Petrum, anno Incarnationis Domini
MDLXVIII septimo idus iulii, Pontificatus Nostri tertio.

M. Dat.

Cæsar Glorierius

H. Cumin

Anno a Nativitate Domini millesimo quingentesimo sexagesimo octavo, indictione undecima, die vero decima quinta mensis iulii, Pontificatus sanctissimi in Christo Patris, et D. N. D. Pii divina providentia Papæ quinti anno tertio, retrospectæ litteræ Apostolicæ lectæ, affixæ et publicatæ fuerunt ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, Cancellariæ Apostolicæ, et in acie Campi Floræ, dimissis ibidem præsentibus litteris per aliquantulum temporis spatium, ut moris est, affixis, et deinde amotis per nos Iulium Parinum et Ioannem Bornotum, prælibati Ss. D. N. Papæ Cursores.

Antonius Clerici
Magister Cursorum





PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Divino afflatu compositos Psalmos, quorum est in sacris litteris collectio, inde ab Ecclesiae exordiis non modo mirifice valuisse constat ad fovendam fidelium pietatem, qui offerebant *hostiam laudis semper Deo, id est, fructum labiorum confitentium nomini eius*^[1]; verum etiam ex more iam in vetere Lege recepto in ipsa sacra Liturgia divinoque Officio conspicuam habuisse partem. Hinc illa, quam dicit Basilius, nata *Ecclesiae vox*^[2], atque psalmodia eius *hymmodia filia*, ut a decessore Nostro Urbano VIII appellatur^[3], *quae canitur assidue ante sedem Dei et Agni*, quaeque homines, in primis divino cultui addictos docet, ex Athanasii sententia, *qua ratione Deum laudare oporteat quibusque verbis decenter confiteantur*^[4]. Pulchre ad rem Augustinus: *Ut bene ab homine laudetur Deus, laudavit se ipse Deus; et quia dignatus est laudare se, ideo invenit homo, quemadmodum laudet eum*^[5].

Accedit quod in Psalmis mirabilis quaedam vis inest ad excitanda in animis omnium studia virtutum. Etsi enim *omnis nostra Scriptura, cum vetus tum nova, divinitus inspirata utilisque ad doctrinam est, ut scriptum habetur;... at Psalmorum liber, quasi paradisi omnium reliquorum (librorum) fructus in se continens, cantus edit, et proprios insuper cum ipsis*

inter psallendum exhibet. Hæc iterum Athanasius^[6], qui recte ibidem addit: Mibi quidem videtur, psallenti Psalmos esse instar speculi, ut et seipsum et proprii animi motus in ipsis contempletur, atque ita affectus eos recitet^[7]. Itaque Augustinus in Confessionibus: Quantum, inquit, flevi in hymnis et canticis tuis suave sonantis Ecclesiæ tuæ vocibus commotus acriter! Voces illæ influebant auribus meis et eliquabatur veritas in cor meum et exastuabat inde affectus pietatis et currebant lacrimæ et bene mihi erat cum eis^[8]. Etenim, quem non moveant frequentes illi Psalmorum loci, in quibus de immensa maiestate Dei, de omnipotentia, de inenarrabili iustitia aut bonitate aut clementia de ceterisque infinitis laudibus eius tam alte prædicatur? Cui non similes sensus inspirent illæ pro acceptis a Deo beneficiis gratiarum actiones, aut pro expectatis humiles fidentesque preces, aut illi de peccatis clamores pœnitentis animæ? Quem non admiratione psaltes perfundat, cum divinæ benignitatis munera in populum Israël atque in omne hominum genus profecta narrat, cumque cælestis sapientiæ dogmata tradit? Quem denique non amore inflammet adumbrata studiose imago Christi Redemptoris, cuius quidem Augustinus^[9] vocem in omnibus Psalmis vel psallentem, vel gementem, vel lætantem in spe, vel suspirantem in re audiebat?

Iure igitur optimo provisum est antiquitus, et per decreta Romanorum Pontificum, et per canones Conciliorum, et per monasticas leges, ut homines ex utroque clero integrum Psalterium per singulas hebdomadas concinerent vel recitarent. Atque hanc quidem legem a patribus traditam decessores Nostri S. Pius V, Clemens VIII, Urbanus VIII in recognoscendo Breviario Romano sancte servarunt. Unde etiam nunc Psalterium intra unius hebdomadæ spatium recitandum foret integrum, nisi mutata rerum condicione talis recitatio frequenter impediretur.

Etenim procedente tempore continenter crevit inter fideles eorum hominum numerus, quos Ecclesia, mortali vita defunctos, cælicolis accensere et populo christiano patronos et vivendi duces consuevit proponere. In ipsorum vero honorem Officia de Sanctis sensim propagari cœperunt, unde fere factum est, ut de dominicis diebus deque feriis Officia silerent, ideoque non pauci negligenterur

Psalmi, qui sunt tamen, non secus ac ceteri, ut Ambrosius ait^[10], *benedictio populi, Dei laus, plebis laudatio, plausus omnium, sermo universorum, vox Ecclesiae, fidei canora confessio, auctoritatis plena devotio, libertatis letitia, clamor incunditatis, letitiae resultatio*. De huiusmodi autem omissione non semel graves fuerunt prudentum piorumque virorum querimoniae, quod non modo hominibus sacri ordinis tot subtraherentur praesidia ad laudandum Dominum et ad intimos animi sensus ei significandos aptissima; sed etiam quod optabilis illa in orando varietas desideraretur, ad digne, attente, devote precandum imbecillitati nostrae quam maxime opportuna. Nam, ut Basilius habet, *in aequalitate torpescit saepe, nescio quomodo, animus, atque praesens absens est: mutatis vero et variatis psalmodia et cantu per singulas horas, renovatur eius desiderium et attentio instauratur*^[11].

Minime igitur mirum, quod complures e diversis orbis partibus Sacrorum antistites sua in hanc rem vota ad Apostolicam Sedem detulerunt, maximeque in Concilio Vaticano, cum hoc inter cetera postularunt, ut, quoad posset, revocaretur consuetudo vetus recitandi per hebdomadam totum Psalterium, ita tamen ut clero, in sacri ministerii vinea ob imminutum operariorum numerum iam gravius laboranti, non maius imponeretur onus. Hisce vero postulationibus et votis, quae Nostra quoque ante susceptum Pontificatum fuerant, itemque precibus, quae deinceps ab aliis Venerabilibus Fratribus piisque viris admotae sunt, Nos equidem concedendum duximus, cauto tamen, ne recitatione integri Psalterii hebdomadae spatio conclusa, ex una parte quicquam de Sanctorum cultu decederet, neve ex altera molestius divini Officii onus clericis, immo temperatius evaderet. Quapropter, implorato suppliciter *Patre luminum*, corrogatisque in id ipsum suffragiis sanctarum precum, Nos vestigiis insistentes decessorum Nostrorum, aliquot viros delegimus doctos et industrios, quibus commisimus, ut consiliis studiisque collatis certam aliquam reperirent rei efficiendae rationem, quae Nostris optatis responderet. Illi autem commissum sibi munus e sententia exsequentes novam Psalterii dispositionem elaborarunt; quam cum S. R. E. Cardinales sacris ritibus cognoscendis praepositi diligenter consideratam probassent, Nos, utpote cum mente Nostra admodum congruentem, ratam

habuimus in rebus omnibus, id est, quod ad ordinem ac partitionem Psalmorum, ad Antiphonas, ad Versiculos, ad Hymnos attinet cum suis rubricis et regulis, eiusque editionem authenticam in Nostra typographia Vaticana adornari et indidem evulgari iussimus.

Quoniam vero Psalterii dispositio intimam quandam habet cum omni Divino Officio et Liturgia coniunctionem, nemo non videt per ea, quæ hic a Nobis decreta sunt, primum Nos fecisse gradum ad Romani Breviarii et Missalis emendationem: sed super tali causa proprium mox Consilium seu Commissionem, ut aiunt, eruditorum constituemus. Interim, opportunitatem hanc nacti, nonnulla iam in presenti instauranda censuimus, prout in appositis Rubricis præscribitur: atque imprimis quidem ut in recitando divino Officio Lectionibus statutis sacræ Scripturæ cum Responsoriis de tempore occurrentibus debitus honor frequentiore usu restitueretur; dein vero ut in sacra Liturgia Missæ antiquissimæ de dominicis infra annum et de feriis, præsertim quadragesimalibus, locum suum recuperarent.

Itaque, harum auctoritate litterarum, ante omnia Psalterii ordinem, qualis in Breviario Romano hodie est, abolemus eiusque usum, inde a calendis ianuariis anni millesimi nongentesimi decimi tertii, omnino interdiciamus. Ex illo autem die in omnibus ecclesiis cleri sæcularis et regularis, in monasteriis, ordinibus, congregationibus, institutisque religiosorum ab omnibus et singulis, qui ex officio aut ex consuetudine Horas canonicas iuxta Breviarium Romanum, a S. Pio V editum et a Clemente VIII, Urbano VIII, Leone XIII recognitum, persolvunt, novum Psalterii ordinem, qualem Nos cum suis regulis et rubricis approbavimus typisque Vaticanis vulgandum decrevimus, religiose observari iubemus. Simul vero pœnas in iure statutas iis denuntiamus, qui suo officio persolvendi quotidie Horas canonicas defuerint; qui quidem sciant se tam gravi non satisfacturos officio, nisi Nostrum hunc Psalterii ordinem adhibeant.

Omnibus igitur Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus ceterisque ecclesiarum Prælatibus, ne Cardinalibus quidem Archipresbyteris patriarchalium Urbis basilicarum exceptis, mandamus, ut in sua quisque diœcesi, ecclesia vel cœnobia Psalterium cum regulis et rubricis, quemadmodum a Nobis dispositum est, constituto tempore inducendum curent: quod Psalterium quasque regulas et rubricas etiam a ceteris omnibus, quoscumque obligatio tenet recitandi vel concinendi Horas canonicas, inviolate adhiberi ac servari præcipimus. Interim autem cuilibet et capitulis ipsis, modo id maior capituli pars sibi placere ostenderit, novum Psalterii ordinem, statim post eius editionem, rite usurpare licebit.

Hæc vero edicimus, declaramus, sancimus, decernentes has Nostras litteras validas et efficaces semper esse ac fore; non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, generalibus et specialibus, ceterisque quibusvis in contrarium facientibus. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam Nostræ abolitionis, revocationis, permissionis, iussionis, præcepti, statuti, indulti, mandati et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli, Apostolorum eius, se noverit incursum.

Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ millesimo nongentesimo undecimo, calendis novembribus, in festo Sanctorum omnium, Pontificatus Nostri anno nono.

† A. Card. AGLIARDI
S. R. E. Cancellarius

† Fr. Seb. Card. MARTINELLI
S. R. C. Præfectus

Loco  Plumbi

Visa
M. Riggi C. A. Not.

Reg. in Canc. Ap. N. 571

-
- ^[1] *Hebr.* 13, 15.
^[2] Homil. in ps. 1, n. 2.
^[3] Bulla *Divinam psalmodiam*.
^[4] Epist. ad Marcellinum in interpret. psalmor., n. 10.
^[5] In psalm. 144, n. 1.
^[6] Epist. ad Marcell. cit., n. 2.
^[7] Op. cit., n. 12.
^[8] Lib. IX, cap. 6.
^[9] In ps. 42, n. 1.
^[10] Enarrat. in ps. 1, n. 9.
^[11] Regulæ fusius tractatæ, interrog. 37, n. 5.





LITTERÆ APOSTOLICÆ
MOTU PROPRIO DATÆ

NOVUM RUBRICARUM BREVIARII ET MISSALIS
ROMANI
CORPUS APPROBATUR

JOANNES PAPA XXIII

Rubricarum instructum, quo publicus Ecclesiæ cultus ordinatur ac regitur, Apostolica Sedes, inde præsertim a Concilio Tridentino, continenter studuit et pressius definire et perfectius ordinare. Pluribus itaque emendationibus, variationibus et additamentis decursu temporis introductis, totum rubricarum systema abunde succrevit, non semper vero systematico ordine servato, et non sine primitivæ perspicuitatis ac simplicitatis detrimento.

Nil proinde mirum quod Decessor Noster, Pius Papa XII, fel. rec., plurium Episcoporum precibus annuens, rubricas Breviarii ac Missalis romani in quibusdam ad simpliciore formam esse redigendas censuerit, quod generali Decreto S

Rituum Congregationis diei 23 Martii anni 1955 fuit peractum.

Anno vero sequenti 1956, cum interim studia præparatoria pro generali liturgica instauratione maturescerent, idem Decessor Noster Episcoporum mentem explorandam decrevit, circa Breviarii romani liturgicam emendationem. Episcoporum autem responsionibus mature perpensis, quæstionem de generali ac systematica rubricarum Breviarii ac Missalis emendatione aggrediendam esse censuit, eamque peculiari illi commisit virorum peritorum Commissioni, cui generalis instaurationis liturgicæ studia demandata fuerant.

Nos autem, postquam, adspirante Deo, Concilium Œcumenicum coadunandum esse decrevimus, quid circa hujusmodi Prædecessoris Nostri inceptum agendum foret, haud semel recogitavimus. Re itaque diu ac mature examinata, in sententiam devenimus, altiora principia, generalem liturgicam instaurationem respicientia, in proximo Concilio Œcumenico Patribus esse proponenda; memoratam vero rubricarum Breviarii ac Missalis emendationem diutius non esse protrahendam.

Harum itaque rubricatum Breviarii ac Missalis romani corpus, a peritis viris S. Rituum Congregationis præparatum et a præfata Pontificia Commissione pro generali liturgica instauratione diligenter revisum, Nos ipsi, motu proprio et certa scientia, Apostolica Nostra Auctoritate, probandum censuimus, sequentia decernentes:

1. Novum rubricarum Breviarii ac Missalis romani codicem, per tres partes digestum, scilicet: *Rubricæ generales*,

Rubricæ generales Breviarii romani, et Rubricæ generales Missalis romani a Sacra Nostra Rituum Congregatione mox evulgandum, inde a die 1 Januarii proximi anni 1961, ab omnibus qui ritum romanum sequuntur, servandum esse præcipimus. Qui vero alium ritum latinum observant, quamprimum sive novo rubricarum codici, sive calendario se conformare tenentur, in iis omnibus, quæ illi ritui strictè propria non sunt.

2. Eodem die 1 ianuarii anni 1961 vigere cessant *Rubricæ generales* Breviarii et Missalis romani, necnon *Additiones et Variationes* in rubricis Breviarii et Missalis romani, ad normam Bullæ Prædecessoris Nostri S. Pii X *Divino afflatu*, quæ hucusque his libris præpositas habentur. Pariter vigere cessat Decretum generale S. R. C. diei 23 Martii anni 1955 *De rubricis ad simpliciore formam redigendis*, in hac nova rubricarum redactione assumptum. Abrogantur denique eiusdem S. Congregationis decreta et ad dubia responsiones, quæ cum nova hac rubricarum forma non conveniunt.

3. Item statuta, privilegia, indulta et consuetudines cujuscumque generis, etiam sæcularia et immemorabilia, immo specialissima atque individua mentione digna, quæ his rubricis obstant, revocantur.

4. Librorum Liturgicorum editores, rite a S Sede approbati et admissi, novas parare possunt editiones Breviarii et Missalis romani, juxta novum rubricarum codicem dispositas; ad necessariam vero novarum editionum uniformitatem præcavendam, S. Rituum Congregatio peculiare tradat instructiones.

5. In novis Breviarii vel Missalis romani editionibus, omissis rubricarum textibus de quibus n. 2, novarum rubricarum textus præponantur, Breviario quidem *Rubricæ generales* et *Rubricæ generales Breviarii romani*; Missali autem item *Rubricæ generales* et *Rubricæ generales Missalis romani*.

6. Omnes denique ad quos spectat quamprimurn Calendaria et Propria, sive diœcesana sive religiosa, ad normam et mentem novæ redactionis rubricarum et calendarii conformari curent, a S. Rituum Congregatione approbanda.

His itaque firmiter statutis, muneri Nostro Apostolico consentaneum ducimus, nonnulla addere hortamenta.

Nova sane hac rubricarum dispositione, dum ex una parte universus rubricarum Breviarii et Missalis romani instructus in meliorem formam est redactus, clariore ordine digestus et in unicum textum contractus, ex altera parte aliquæ quoque introductæ sunt peculiæ modificationes, quibus Officium divinum paulisper contrahitur. Hoc siquidem quamplurimum Episcoporum erat in votis, intuitu præsertim multorum sacerdotum, qui in dies magis magisque pastoralibus sollicitudinibus onerantur. Hos autem et omnes qui Officio divino persolvendo tenentur, paterno hortamur animo, ut si quid in eodem divino Officio breviatur, hoc maiore diligentia ac devotione compensetur. Cum porro Lectio quoque sanctorum Patrum aliquantisper quandoque minuatur, omnes enixe clericos hortamur, ut volumina Patrum, tanta sapientia ac pietate referta, assidue præ manibus legenda ac meditanda teneant.

Quæ autem per Nostras has Litteras, motu proprio datas, decrevimus ac statuimus, rata atque firma sunt, contrariis quibuslibet minime obstantibus, peculiarissima quoque et individua mentione dignis.

Datum Romæ, apud S. Petrum, die 25 mensis Julii, anno 1960, Pontificatus Nostri secundo.

JOANNES PP. XXIII





SACRA RITUUM CONGREGATIO

DECRETUM GENERALE
QUO NOVUS RUBRICARUM BREVIARII
AC MISSALIS ROMANI CODEX PROMULGATUR

Novum rubricarum Breviarii ac Missalis romani codicem, quem Ssmus Dominus Noster Joannes Papa XXIII, per Litteras Apostolicas *Rubricarum instructum*, die 25 iulii huius anni *motu proprio* datas, approbavit et huic S. Congregationi promulgandum mandavit, S. Rituum Congregatio, per hoc Decretum generale, et promulgat et promulgatum esse declarat, in novas Breviarii et Missalis romani editiones inserendum, et ab omnibus ad quos spectat, inde a die 1 januarii proximi anni 1961, servandum.

Ut autem libri liturgici qui in usu habentur adhuc adhiberi possint, rubricarum codici adduntur «Variationes» Breviariis et Missalibus necnon Martyrologio aptandis.

Ex ædibus S. Rituum Congregationis, die 26 iulii anni 1960.

† Caietanus Card. CICOGNANI, Ep. Tusculanus, Præfectus.

L.  S.

Henricus Dante, a secretis.



RUBRICÆ GENERALES

Caput I

NORMÆ GENERALES

1. Rubricæ quæ sequuntur ritum romanum respiciunt.
2. Nomine calendarii veniunt tum calendarium in usum Ecclesiæ universæ, tum calendaria particularia.
3. Rubricæ generales quæ sequuntur, valent tam pro Breviario quam pro Missali. Ipsis tamen exceptiones dantur per particulares rubricas, quæ aliquando in Breviario et in Missali ad normam harum rubricarum redactis occurrunt.

Caput II

DE DIE LITURGICO IN GENERE

4. Dies liturgicus est dies sanctificatus actionibus liturgicis, præsertim Sacrificio eucharistico et publica Ecclesiæ prece, id est Officio divino; et decurrit a media nocte ad mediam noctem.
5. Celebratio diei liturgici decurrit per se a Matutino ad Completorium. Sunt tamen dies solemniore, quorum Officium inchoatur a I Vesperis, die præcedenti. Habetur denique

celebratio liturgica non plena seu sola *commemoratio* in Officio et Missa diei liturgici currentis.

6. Singulis diebus fit aut de dominica, aut de feria, aut de vigilia, aut de festo, aut de octava, iuxta calendarium et præcedentiam dierum liturgicorum.

7. Præcedentia inter singulos dies liturgicos unice per peculiarem tabellam (n. 91) determinatur.

8. Dies liturgici sunt primæ, secundæ, tertiæ aut quartæ classis.

Caput III DE DOMINICIS

9. Nomine dominicæ intellegitur dies Domini initio cuiusque hebdomadæ occurrentis.

10. Dominicæ sunt I aut II classis.

11. *Dominicæ I classis* sunt:

- a) I-IV Adventus;
- b) I-IV Quadragesimæ;
- c) I-II Passionis;
- d) dominica Resurrectionis seu Paschatis;
- e) dominica in albis;
- f) dominicxa Pentecostes.

Dominicæ Paschatis et Pentecostes sunt pariter festa I classis cum octava.

12. Omnes aliæ dominicæ sunt *II classis*.

13. Officium dominicæ incipit a I Vesperis, sabbato præcedenti, tet explicit post Completorium dominicæ.

14. Dominica celebratur suo die, iuxta rubricas. Officium et Missa dominicæ impeditæ nec anticipantur nec resumuntur.

15. *Dominica I classis*, in occurrentia, festis quibuslibet præfertur.

Festum tamen Immaculatæ Conceptionis B. Mariæ Virg. præfertur occurrenti dominicæ Adventus. Ad concurrentiam vero quod attinet, servetur norma, quæ nn. 104-105 traditur.

16. *Dominica II classis*, in occurrentia, festis II classis præfertur. Attamen:

a) festum Domini I aut II classis, in dominica II classis occurrens, locum tenet ipsius dominicæ cum omnibus iuribus et privilegiis: de dominica, proinde, nulla fit commemoratio;

b) dominica II classis præfertur Commemorationi omnium Fidelium defunctorum.

Ad concurrentiam vero quod attinet, servetur norma, quæ nn. 104-105 traditur.

17. Dominica excludit, per se, assignationem perpetuam festorum.

Excipiuntur:

a) festum Ss.mi Nominis Iesu, celebrandum dominica quæ occurrit a die 2 ad 5 ianuarii (secus die 2 ianuarii);

b) festum S. Familiæ Iesu, Mariæ, Ioseph, celebrandum dominica prima post Epiphaniam;

c) festum Ssmæ Trinitatis, celebrandum dominica prima post Pentecosten

d) festum D. N. Iesu Christi Regis, celebrandum dominica ultima mensis octobris;

e) festa Domini I classis quæ, in calendariis particularibus, dominicæ II classis nunc assignantur.

Hæc festa locum tenent dominicæ occurrentis cum omnibus iuribus et privilegiis: de dominica, proinde, nulla fit commemoratio.

18. Dominicæ post Epiphaniam quæ, superveniente Septuagesima, impediuntur, transferuntur post dominicam XXIII post Pentecosten, hoc ordine:

a) si dominicæ post Pentecosten fuerint 25, dominica XXIV erit quæ inscribitur dominica VI post Epiphaniam;

b) si dominicæ post Pentecosten fuerint 26, dominica XXIV erit quæ inscribitur V post Epiphaniam; et XXV, quæ inscribitur VI;

c) si dominicæ post Pentecosten fuerint 27, dominica XXIV erit quæ inscribitur IV post Epiphaniam; XXV, quæ inscribitur V; et XXVI, quæ inscribitur VI.

d) si dominicæ post Pentecosten fuerint 28, dominica XXIV erit quæ inscribitur III post Epiphaniam; XXV, quæ inscribitur IV; XXVI, quæ inscribitur V; et XXVII quæ inscribitur VI.

Ultimo tamen loco semper ponitur ea quæ in ordine est XXIV post Pentecosten, omissis, si opus sit, ceteris, quæ aliquando locum habere non possunt.

19. Dominica prima mensis ea intellegitur, quæ prima occurrit in mense, scilicet a die primo ad septimum mensis; dominica autem ultima, quæ diem primum mensis sequentis proxime præcedit.

Item ad computandam primam dominicam mensium augusti, septembris, octobris et novembris, ratione lectionum Scripturæ occurrentis, ea dicitur prima dominica mensis, quæ cadit a die primo ad septimum mensis.

20. Dominica I Adventus ea est, quæ cadit die 30 novembris vel est ipsi proximior.

Caput IV DE FERIIS

21. Nomine feriæ intelleguntur singuli dies hebdomadæ, præter dominicam.

22. Feriæ sunt primæ, secundæ, tertiæ aut quartæ classis.

23. *Feriæ I classis* sunt:

- a) feria IV cinerum;
- b) omnes feriæ Hebdomadæ sanctæ.

Hæ feriæ festis quibuslibet præferunt, et nullam admittunt commemorationem, nisi unam privilegiatam.

24. *Feriæ II classis* sunt:

- a) feriæ Adventus a die 17 ad diem 23 decembris;
- b) feriæ Quatuor Temporum Adventus, Quadragesimæ et mensis septembris.

Hæ feriæ præferunt festis particularibus II classis; si vero impediuntur, commemorari debent.

25. *Feriae III classis* sunt:

- a) *feriae* Quadragesimæ et Passionis, a feria V post cineres usque ad sabbatum ante dominicam II Passionis inclusive, superius non nominatæ, quæ præferuntur festis III classis;
- b) *feriae* Adventus usque ad diem 16 decembris inclusive, superius non nominatæ, quæ cedunt festis III classis.

Hæ *feriæ*, si impediuntur, commemorari debent.

26. Omnes *feriæ*, numeris 23-25 non nominatæ, sunt *feriæ IV classis*; quæ nunquam commemorantur.

27. Officium *feriæ* incipit a Matutino et explicit per se post Completorium; Officium vero sabbati, excepto Officio sabbati sancti, explicit post Nonam.

Caput V DE VIGILIIS

28. Nomine *vigiliæ* intellegitur dies liturgicus, qui aliquod festum præcedit, et rationem habet præparationis ad illud. *Vigilia* Paschatis vero, cum non sit dies liturgicus, modo sibi proprio, seu pervigilio, celebratur.

29. *Vigiliæ* sunt primæ, secundæ aut tertiæ classis.

30. *Vigiliæ I classis* sunt:

- a) *vigilia* Nativitatis Domini quæ, in occurrentia, locum tenet dominicæ IV Adventus, de qua, proinde, nulla fit commemoratio;
- b) *vigilia* Pentecostes.

Hæ vigiliæ festis quibuslibet præferunt, et nullam admittunt commemorationem.

31. *Vigiliæ II classis* sunt:

- a) vigilia Ascensionis Domini;
- b) vigilia Assumptionis B. Mariæ Virg.;
- c) vigilia Nativitatis S. Ioannis Baptistæ;
- d) vigilia Ss. Petri et Pauli Apostolorum.

Hæ vigiliæ præferuntur diebus liturgicis III et IV classis; et, si impediuntur, commemorantur, iuxta rubricas.

32. *Vigilia III classis* est vigilia S. Laurentii. Hæc vigilia præfertur diebus liturgicis IV classis; et, si impeditur, commemoratur, iuxta rubricas.

33. Vigilia II aut III classis penitus omittitur, si occurrat in dominica quavis, aut in festo I classis, vel si festum cui præmittitur in alium diem transferri aut ad commemorationem reduci contingat.

34. Officium vigiliæ incipit a Matutino et explicit quando initium habet Officium festi subsequenti.

Caput VI

DE FESTIS ET CALENDARIO

A – *De natura et proprietate festorum*

35. Nomine festi intellegitur dies liturgicus in quo cultus publicus Ecclesiæ peculiari modo ad mysteria Domini recolenda, vel ad B. Mariam Virg., aut Angelos, aut Sanctos vel Beatos venerandos dirigitur.

36. Festa sunt primæ, secundæ aut tertiæ classis.

37. Ratio celebrationis festorum hæc est:

a) festa I classis inter dies solemniore adnumerantur, quorum Officium incipit a I Vesperis, die præcedenti;

b) festa II et III classis Officium habent quod per se decurrit a Matutino ad Completorium ipsius diei;

c) festa vero Domini II classis I Vesperas acquirunt, quoties, in occurrentia, locum tenent dominicæ II classis.

38. Festa sunt *universalia* aut *particularia*; particularia autem sunt *propria* aut *indulta*.

39. Festa *universalia* ea sunt quæ a Sancta Sede in calendario Ecclesiæ universæ inscribuntur. Hæc festa ab omnibus, qui ritum romanum sequuntur, celebrari debent iuxta rubricas.

40. Festa *particularia* ea sunt quæ ex iure aut ex indulto Sanctæ Sedis in calendariis particularibus inscribuntur. Hæc festa ab omnibus, qui illo calendario tenentur, celebrari debent, iuxta rubricas, et nonnisi ex speciali Sanctæ Sedis indulto e calendario expungi vel gradu mutari possunt.

41. Festa particularia, *ipso iure* in calendario inscribenda, sunt festa propria:

a) cuiusque nationis et regionis seu provinciæ sive ecclesiasticæ sive civilis (n. 42);

b) cuiusque diœcesis seu territorii ecclesiastici cui præficitur «Ordinarius loci» (n. 43);

c) cuiusque loci seu oppidi vel civitatis (n. 44);

d) cuiusque ecclesiæ aut oratorii publici vel semipublici, quod locum tenet ecclesiæ (n. 45);

e) cuiusque Ordinis seu Congregationis (n. 46).

42. *Festa propria cuiusque nationis et regionis seu provinciae sive ecclesiasticae sive civilis sunt:*

- a) festum Patroni principalis rite constituti (I classis);
- b) festum Patroni secundarii rite constituti (II classis).

43. *Festa propria cuiusque diocesis seu territorii ecclesiastici cui praeficitur «Ordinarius loci» sunt:*

- a) festum Patroni principalis rite constituti (I classis);
- b) anniversarium Dedicationis ecclesiae cathedralis (I classis);
- c) festum Patroni secundarii rite constituti (II classis);
- d) festa Sanctorum et Beatorum, qui in Martyrologio vel eius Appendice rite sunt inscripti, qui ad diocesim peculiare habent relationes, ut sunt origines, commorationis longioris, obitus (II vel III classis, aut commemoratio).

44. *Festa propria cuiusque loci seu oppidi vel civitatis sunt:*

- a) festum Patroni principalis rite constituti (I classis);
- b) festum Patroni secundarii rite constituti (II classis).

45. *Festa propria cuiusque ecclesiae aut oratorii publici vel semipublici, quod locum tenet ecclesiae, sunt:*

- a) anniversarium Dedicationis, si sint consecrata (I classis);
- b) festum Tituli, si sint consecrata aut saltem solemniter benedicta (I classis);
- c) festum Sancti, in Martyrologio vel eius Appendice rite descripti, cuius corpus ibi asservatur (II classis);
- d) festum Beati, item in Martyrologio vel eius Appendice rite descripti, cuius corpus ibi asservatur (III classis).

46. *Festa propria cuiusque Ordinis seu Congregationis sunt:*

- a) festum Tituli (I classis);
- b) festum Fundatoris canonizati (I classis) vel beatificati (II classis);
- c) festum Patroni principalis rite constituti totius Ordinis seu Congregationis, in universo Ordine vel Congregatione; aut Patroni principalis item rite constituti cuiusque provinciae religiosae, in singulis provinciis (I classis);
- d) festum Patroni secundarii, ut supra (II classis);
- e) festa Sanctorum et Beatorum, qui illius Ordinis vel Congregationis sodales fuerunt (II vel III classis, vel commemoratio).

47. Festa particularia *indulta* sunt festa quae, ex indulto Sanctae Sedis, in calendariis particularibus inscribuntur.

B – *De calendario et festis in eo inscribendis*

48. Calendarium est *universale* aut *particulare* seu proprium.

49. *Calendarium universale* est calendarium in usum Ecclesiae universae, quod Breviario ac Missali romano praeficitur.

50. *Calendarium particulare* seu proprium est diocesanum aut religiosum; et conficitur inserendo calendario universali festa particularia.

Huiusmodi autem calendarium particulare perpetuum conficiendum est respective ab Ordinario loci aut a supremo religionis Moderatore de consilio sui Capituli vel Consilii generalis, et approbari debet a S. Rituum Congregatione.

51. *Calendarium diocesanum* habet quaelibet diocesis et quodlibet aliud territorium ecclesiasticum cui praeficitur «Ordinarius loci».

52. In calendario *diocesano*, præter festa universalia, inscribi debent:

a) festa propria (n. 42) et indulta universæ nationi et regioni seu provinciæ sive ecclesiasticæ sive civilis;

b) festa propria (n. 43) et indulta universæ diœcesi.

53. Super huiusmodi calendario *diocesano* conficitur:

a) calendarium cuiusque loci, addendo festa propria (n. 44) et indulta;

b) calendarium cuiusque ecclesiæ aut oratorii, item addendo festa loci propria (n. 44) et indulta, atque festa ipsi ecclesiæ propria (n. 45) et indulta;

c) calendarium Congregationum religiosarum seu Institutorum iuris pontificii, quæ ad recitationem divini Officii non obligantur; et Congregationum iuris diœcesani, addendo festa loci propria (n. 44) et indulta; necnon et alia ipsis propria (nn. 45 et 46) et indulta.

54. *Calendarium religiosum* habent:

a) Ordines regulares, et Moniales ac Sorores eiusdem Ordinis, necnon Tertiarii eidem aggregati in communi viventes et vota simplicia emittentes;

b) Congregationes religiosæ seu Instituta utriusque sexus, iuris pontificii, et sub regimine unius præsidis generalis constituta, si ad recitationem divini Officii, ex quovis capite, tenentur.

55. In calendario *religioso*, præter festa universalia, inscribi debent festa propria (n. 46) et indulta ipsi Ordini seu Congregationi.

56. Super huiusmodi calendario *religioso* conficitur:

a) calendarium cuiusque provinciæ religiosæ, addendo festa propria (n. 46) et indulta;

b) calendarium cuiusque ecclesiæ aut oratorii, item addendo festa propria (n. 45) et indulta, necnon et alia de quibus numero sequenti: quod calendarium vocatur etiam domus religiosæ.

57. In singulis diœcesibus et locis, Religiosi, ii etiam qui alium ritum ac romanum sequuntur, celebrare tenentur, una cum clero diœcesano:

a) festum Patroni principalis nationis, regionis seu provinciæ sive ecclesiasticæ sive civilis, diœcesis, loci seu oppidi vel civitatis (I classis);

b) anniversarium Dedicacionis ecclesiæ cathedralis (I classis);

c) alia festa actu feriata, si quæ sint, eodem gradu quo in calendario diœcesano inscribuntur.

58. Religiosi, in celebrandis festis Sanctorum Ordinis seu Congregationis, quoad diem et Officium magis proprium, clero diœcesano se conformare tenentur, sicubi iidem Sancti tamquam Patroni principales (n. 57 *a*) recoluntur. Item, si festa Sanctorum aut Beatorum alicuius Ordinis seu Congregationis gradu superiore aut Officio magis proprio a clero alicuius diœcesis vel loci celebrantur, ibidem etiam a Religiosis eiusdem Ordinis seu Congregationis eodem gradu superiore aut Officio magis proprio celebrari possunt, dummodo eadem festa in utroque calendario, eodem die inscripta sint.

C – De festorum die proprio

59. Festa in calaria iam inducta eo die celebrentur, quo nunc in calaria inscripta inveniuntur.

60. Pro novis festis *universalibus*, hæc servantur:

a) festa Sanctorum ordinarie diei natalicio assignentur, diei nempe quo Sanctus æternæ vitæ natus est; hoc die ex qualibet causa impedito, eadem festa assignentur diei a S. Sede determinando, qui proinde habebitur tamquam dies quasi-natalicius;

b) pro ceteris festis, dies a S. Sede assignabuntur.

61. Pro novis festis *particularibus* inducendis, hæc servantur:

a) festa propria Sanctorum vel Beatorum, ordinarie, diei natalicio assignentur, nisi sit impeditus aut aliter a S. Sede dispositum sit. Festa tamen alicuius loci vel ecclesiæ propria, quæ etiam in calendario universalis vel diœcesano vel religioso gradu quidem inferiore inscribuntur, eodem die celebranda sunt ac in calendario universalis vel diœcesano vel religioso;

b) si dies natalicius ignoretur, festa assignentur, cum approbatione S. Sedis, diei qui, in calendario perpetuo diœcesano vel religioso, sit IV classis;

c) si vero dies natalicius perpetuo impediatur pro universa diœcesi vel Religione vel ecclesia propria, festa in tali calendario particulari, si sint I vel II classis, assignentur proximiori diei sequenti qui non sit I vel II classis; si sint III classis, assignentur proximiori diei, qui ab aliis festis et Officiis paris aut superioris gradus liber existat;

d) festa particularia indulta inscribantur in calendario die a S. Sede in concessione assignato.

62. Sancti vel Beati qui in calendario, ex quavis ratione, unico festo inscribuntur, semper simul celebrantur prout in Breviario habetur, quoties eodem gradu sunt colendi, etsi unus aut aliqui eorum sint magis proprii.

Proinde:

a) si unus aut aliqui ex his Sanctis festo I classis essent colendi, fit Officium de his tantum, omissis sociis;

b) si unus aut aliqui ex his Sanctis vel Beatis essent magis proprii et gradu superiore essent colendi, fit integrum Officium de magis propriis, cum commemoratione sociorum.

Caput VII DE OCTAVIS

A – De octavis in genere

63. Octava est celebratio summorum festorum per octo dies continuos protracta.

64. Celebrantur tantum octavæ Nativitatis Domini, Paschatis et Pentecostes, exclusis omnibus aliis, sive in calendario universali sive in calendariis particularibus.

65. Octavæ sunt I aut II classis.

B – De octavis I classis

66. Octavæ I classis sunt octavæ Paschatis et Pentecostes. Dies infra has octavas sunt I classis.

C – De octava II classis

67. Octava II classis est octava Nativitatis Domini. Dies infra octavam sunt II classis; dies autem octavus est I classis.

68. Octava Nativitatis Domini modo peculiari ordinatur, scilicet:

a) die 26 decembris, fit festum S. Stephani Protomart.
(II classis);

b) die 27 decembris, fit festum S. Ioannis Ap. et Evang.
(II classis);

c) die 28 decembris, fit festum Ss. Innocentium Mart.
(II classis);

d) die 29 decembris, fit commemoratio S. Thomæ Episcopi et Mart.;

e) die 31 decembris, fit commemoratio S. Silvestri I Papæ et Conf.;

f) ex festis particularibus ea tantum admittuntur quæ sunt I classis et in honorem Sanctorum qui in calendario universali his diebus inscribuntur, etsi tantum ad modum commemorationis; cetera transferuntur post octavam.

69. De dominica infra octavam Nativitatis Domini, quæ scilicet a die 26 ad 31 decembris occurrit, semper fit Officium cum commemoratione festi forte occurrentis, iuxta rubricas, nisi dominica incidat in festum I classis: quo in casu, fit de festo cum commemoratione dominicæ.

70. Normæ peculiare pro ordinandis Officio et Missa infra octavam Nativitatis Domini inveniuntur in rubricis Breviarii et Missalis.

Caput VIII DE ANNI TEMPORIBUS

A – De tempore Adventus

71. Tempus sacri Adventus decurrit a I Vesperis dominicæ I Adventus usque ad Nonam inclusive vigiliæ Nativitatis Domini.

B – De tempore natalicio

72. Tempus natalicium decurrit a I Vesperis Nativitatis Domini usque ad diem 13 ianuarii inclusive.

Huiusmodi autem temporis spatium comprehendit:

a) tempus Nativitatis, quod decurrit a I Vesperis Nativitatis Domini usque ad Nonam inclusive diei 5 ianuarii;

b) tempus Epiphaniæ, quod decurrit a I Vesperis Epiphaniæ Domini usque ad diem 13 ianuarii inclusive.

C – De tempore Septuagesimæ

73. Tempus Septuagesimæ decurrit a I Vesperis dominicæ in Septuagesima usque post Completorium feriæ III hebdomadæ Quinquagesimæ.

D – De tempore quadragesimali

74. Tempus quadragesimale decurrit a Matutino feriæ IV cinerum usque ad Missam Vigiliæ paschalis exclusive.

Huiusmodi autem temporis spatium comprehendit:

a) tempus Quadragesimæ, quod decurrit a Matutino feriæ IV cinerum usque ad Nonam inclusive sabbati ante dominicam I Passionis;

b) tempus Passionis, quod decurrit a I Vesperis dominicæ I Passionis usque ad Missam Vigiliæ paschalis exclusive.

75. Hebdomada a dominica II Passionis seu in palmis usque ad Sabbatum sanctum inclusive dicitur *Hebdomada sancta*; tres autem ultimi dies eiusdem hebdomadæ *Tridui sacri* designantur.

E – De tempore paschali

76. Tempus paschale decurrit ab initio Missæ Vigiliæ paschalis usque ad Nonam inclusive sabbati in octava Pentecostes. Huiusmodi autem temporis spatium comprehendit:

a) tempus Paschatis, quod decurrit ab initio Missæ Vigiliæ paschalis usque ad Nonam inclusive vigiliæ Ascensionis Domini;

b) tempus Ascensionis, quod decurrit a I Vesperis Ascensionis Domini usque ad Nonam inclusive vigiliæ Pentecostes;

c) octavam Pentecostes, quæ decurrit a Missa vigiliæ Pentecostes usque ad Nonam inclusive sabbati sequentis.

F – De tempore «per annum»

77. Tempus «per annum» decurrit a die 14 ianuarii usque ad Nonam sabbati ante dominicam in Septuagesima, et a I Vesperis festi Ss.mæ Trinitatis, id est dominicæ I post Pentecosten, usque ad Nonam inclusive sabbati ante dominicam I Adventus.

Caput IX

DE SANCTA MARIA IN SABBATO

78. In sabbatis, in quibus occurrit Officium de feria IV classis, fit de sancta Maria in sabbato.

79. Officium sanctæ Mariæ in sabbato incipit a Matutino et explicit post Nonam.

Caput X

DE LITANIIS MAIORIBUS ET MINORIBUS

A – *De Litiis maioribus*

80. Litiis maiores assignatæ sunt diei 25 aprilis; si vero eo die occurrit dominica Paschatis vel feria II post Pascha, transferuntur in sequentem feriam III.

81. De Litiis maioribus nihil fit in Officio, sed tantum in Missa. Earum autem commemoratio non est habenda commemoratio «de Tempore».

82. Iuxta ecclesiarum et locorum condiciones et consuetudines, cuius rei iudex est Ordinarius loci, hoc die fit processio, in qua dicuntur Litiis Sanctorum (quæ tamen non duplicantur) cum suis precibus.

83. Si autem processio fieri nequit, locorum Ordinarii instituant peculiare supplicationes, in quibus dicantur Litiis Sanctorum et aliæ preces in processione fieri solitæ.

84. Omnes qui ad recitationem divini Officii obligantur, processioni vero aut aliis peculiaribus supplicationibus, de quibus numero præcedenti, non intersunt, tenentur dicere, hoc die, Litanias Sanctorum cum suis precibus, lingua latina.

85. Si Litanie Sanctorum cum suis precibus, iuxta locorum consuetudinem, in processione vel aliis peculiaribus supplicationibus, lingua vernacula, una cum fidelibus dicuntur, ii qui ad recitationem divini Officii obligantur, et his supplicationibus rite intersunt, non tenentur has preces lingua latina iterare.

86. Missa de Rogationibus regulariter dicenda est expleta processione, iuxta ea quæ in nn. 346-347 statuuntur. Convenit autem ut Missa de Rogationibus dicatur etiam post peculiare supplicationes, quæ locum tenent processionis, etsi horis vespertinis peragantur.

B – De Litiis minoribus seu de Rogationibus

87. Litanie minores seu Rogationes, per se, assignantur feriis II, III et IV ante festum Ascensionem Domini. Ordinariis autem locorum facultas tribuitur eas transferendi ad alios tres dies continuos magis opportunos iuxta regionum diversitatem aut consuetudinem aut necessitate.

88. De Litiis minoribus nihil fit in Officio, sed tantum in Missa quæ connectitur cum processione aut aliis peculiaribus supplicationibus.

89. Ad processionem aut alias peculiare supplicationes et Missam aut commemorationem quod attinet, servantur quæ supra de Litiis maioribus statuta sunt (nn. 81-83 et 86).

90. Litanie Sanctorum cum suis precibus, his diebus, dicuntur tantum in processione aut aliis supplicationibus (cfr. n. 85).

Proinde, qui ad recitationem divini Officii obligantur, processioni vero aut aliis peculiaribus supplicationibus non intersunt, non tenentur dicere, his diebus, Litanias Sanctorum cum suis precibus.

Caput XI DE PRÆCEDENTIA DIERUM LITURGICORUM

91. Præcedentia dierum liturgicorum, sublatis quibuslibet aliis titulis vel normis, unice regitur ex sequenti

TABELLA DIERUM LITURGICORUM SECUNDUM ORDINEM PRÆCEDENTIÆ DISPOSITA

Dies liturgici I classis

1. Festum Nativitatis Domini, dominica Resurrectionis et dominica Pentecostes (I classis cum octava).
2. Triduum sacrum.
3. Festa Epiphaniæ et Ascensionis Domini, Ss.mæ Trinitatis, Corporis Christi, Cordis Iesu et Christi Regis.
4. Festa Immaculatæ Conceptionis et Assumptionis B. Mariæ Virg.
5. Vigilia et dies octavus Nativitatis Domini.
6. Dominicæ Adventus, Quadragesimæ et Passionis, et dominica in albis.
7. Feriæ I classis superius non nominatæ, nempe: IV cinerum et II, III et IV Hebdomadæ sanctæ.
8. Commemoratio omnium Fidelium defunctorum, quæ tamen locum cedit dominicæ occurrenti.

9. Vigilia Pentecostes.
10. Dies infra octavas Paschatis et Pentecostes.
11. Festa I classis Ecclesiæ universæ superius non nominata.
12. Festa I classis *propria*, nempe:
 - 1) Festum Patroni principalis rite constituti:
a) nationis, *b)* regionis seu provinciæ sive ecclesiasticæ sive civilis, *c)* diœcesis.
 - 2) Anniversarium Dedicationis ecclesiæ cathedralis.
 - 3) Festum Patroni principalis rite constituti loci seu oppidi vel civitatis.
 - 4) Festum et anniversarium Dedicationis ecclesiæ propriæ, aut oratorii publici vel semipublici, quod locum tenet ecclesiæ.
 - 5) Titulus ecclesiæ propriæ.
 - 6) Festum Tituli Ordinis seu Congregationis.
 - 7) Festum Fundatoris canonizati Ordinis seu Congregationis.
 - 8) Festum Patronis principali rite constituti Ordinis seu Congregationis, et provinciæ religiosæ.
 - 9) Festa *indulta* I classis, primum mobilia, deinde fixa.

Dies liturgici II classis

13. Festa Domini II classis, primum mobilia, deinde fixa.
14. Dominicæ II classis.
15. Festa II classis Ecclesiæ universæ, quæ non sunt Domini.
16. Dies infra octavam Nativitatis Domini.
17. Feriæ II classis, nempe: Adventus a die 17 ad diem 23 decembris inclusive, et feriæ Quatuor Temporum Adventus, Quadragesimæ et mensis septembris.

18. Festa *propria* II classis, nempe:

- 1) Festum Patroni secundarii rite constituti:
a) nationis, *b)* regionis seu provinciæ sive ecclesiasticæ sive civilis, *c)* diœcesis, *d)* loci seu oppidi vel civitatis.
- 2) Festa Sanctorum aut Beatorum, de quibus n. 43 *d*
- 3) Festa Sanctorum alicui ecclesiæ propria (n. 45 *c*).
- 4) Festum Fundatoris beatificati Ordinis seu Congregationis (n. 46 *b*).
- 5) Festum Patroni secundarii rite constituti Ordinis seu Congregationis et provinciæ religiosæ (n. 46 *d*).
- 6) Festa Sanctorum aut Beatorum, de quibus n. 46 *e*.

19. Festa *indulta* II classis, primum mobilia, deinde fixa.

20. Vigiliæ II classis.

Dies liturgici III classis

21. Feriæ Quadragesimæ et Passionis, a feria V post cineres usque ad sabbatum ante dominicam II Passionis inclusive, exceptis feriis Quatuor Temporum.

22. Festa III classis, in calendariis particularibus inscripta, et quidem primum festa *propria*, nempe:

- 1) Festa Sanctorum aut Beatorum, de quibus n. 43 *d*.
- 2) Festa Beatorum alicui ecclesiæ propria (n. 45 *d*).
- 3) Festa Sanctorum aut Beatorum, de quibus n. 46 *e*; deinde festa *indulta*, primum mobilia, deinde fixa.

23. Festa III classis, in calendario Ecclesiæ universæ inscripta, primum mobilia, deinde fixa.

24. Feriæ Adventus usque ad diem 16 decembris inclusive, exceptis feriis Quatuor Temporum.

25. Vigilia III classis.

Dies liturgici IV classis

26. Officium sanctæ Mariæ in sabbato.

27. Feriæ IV classis.

Caput XII

DE DIERUM LITURGICORUM OCCURRENTIA

92. *Occurrentia* dicitur occursus duorum vel plurium Officiorum uno eodemque die. *Ocurrentia* autem dicitur *accidentalis* quando dies liturgicus mobilis et dies liturgicus fixus certis solummodo annorum intervallis simul occurrunt; *perpetua* vero quando duo dies liturgici quotannis simul occurrunt.

93. Effectus *occurrentiæ* est, ut Officium diei liturgici gradus inferioris Officio gradus superioris cedat: quod fieri potest per minus nobilis omissionem, aut commemorationem, aut translationem, aut repositionem prout numeris sequentibus indicatur.

94. Commemoratio die fixo statuta non transfertur vel reponitur cum festo transferendo vel reponendo, sed fit suo die vel omittitur, iuxta rubricas.

Caput XIII

DE DIERUM LITURGICORUM OCCURRENTIA ACCIDENTALI EORUMQUE TRANSLATIONE

95. Ius translationis in alium diem ob occurrentiam accidentalem cum die liturgico, qui in tabella præcedentiæ superiorem obtinet locum, competit solummodo festis I classis. Alia festa, ab Officio gradus superioris accidentaliter impedita, aut commemorantur aut, eo anno, penitus omittuntur, iuxta rubricas. Si vero duo festa eiusdem Divinæ Personæ aut duo festa eiusdem Sancti vel Beati simul occurrunt, fit de festo, quod in tabella præcedentiæ superiorem obtinet locum et aliud omittitur.

96. Festum I classis impeditum a die qui in tabella præcedentiæ superiorem obtinet locum, transfertur in proximum sequentem diem qui non sit I vel II classis. Attamen:

a) festum Annuntiationis B. Mariæ Virg., quando est transferendum post Pascha, transfertur, tamquam in sedem propriam, in feriam II post dominicam in albis;

b) Commemoratio omnium Fidelium defunctorum, quando occurrit cum dominica, transfertur, tamquam in sedem propriam, in feriam II sequentem.

97. Si *eodem die* plura festa I classis simul occurrant, ipso die celebratur festum, quod in tabella præcedentiæ superiorem obtinet locum; et alia transferuntur secundum ordinem quo in eadem tabella præcedentiæ inscripta sunt.

98. Item, si plura festa I classis transferri contingat, quæ *diebus subsequentibus* occurrunt, servetur ordo quo in tabella præcedentiæ inscribuntur; in paritate autem Officium prius impeditum præcedit.

99. Festa translata sunt eiusdem gradus ac in sede propria.

Caput XIV

DE DIERUM LITURGICORUM OCCURRENTIA PERPETUA EORUMQUE REPOSITIONE

100. Ius repositionis in alium diem, ob occurrentiam perpetuam cum die liturgico, qui in tabella præcedentiæ superiorem obtinet locum, competit omnibus festis I et II classis, necnon festis particularibus III classis extra Adventum et Quadragesimam occurrentibus, quæ in tota diœcesi vel in toto Ordine seu Congregatione vel in propria ecclesia impediuntur. Festa autem III classis Ecclesiæ universæ, in aliquo calendario particulare, et festa III classis diœceseos vel Ordinis seu Congregationis, in aliquibus tantum ecclesiis perpetuo impedita, perpetuo aut commemorantur aut penitus omittuntur, iuxta rubricas.

101. Festa reponenda, si sint I vel II classis, assignentur proximiori diei sequenti qui non sit I vel II classis; si sint III classis, assignentur proximiori diei sequenti, qui ab aliis Officiis paris aut superioris gradus liber existat.

102. Dies in quem festa perpetuo impedita reposita sunt, habetur tamquam dies proprius, in quo festum repositum celebratur sub eodem gradu ac in sede propria.

Caput XV

DE CONCURRENTIA DIERUM LITURGICORUM

103. Concurrentia dicitur concursus Vesperarum diei liturgici currentis cum I Vesperis diei liturgici subsequents.

104. In concurrentia præferuntur Vesperæ diei liturgici classis superioris, et alteræ commemorantur vel non, iuxta rubricas.

105. Quando vero dies liturgici, quorum Vesperæ concurrunt, sunt eiusdem classis, dicuntur integræ secundæ Vesperæ de Officio currenti et fit commemoratio sequentis, iuxta rubricas.

Caput XVI

DE COMMEMORATIONIBUS

106. Quæ hic de commemorationibus statuuntur, valent tam pro Missa quam pro Officio, sive in occurrentia sive in concurrentia.

107. Commemorationes sunt aut *privilegiatæ* aut *ordinariæ*.

108. Commemorationes *privilegiatæ* fiunt in Laudibus et in Vesperis necnon in omnibus Missis; commemorationes vero *ordinariæ* fiunt tantum in Laudibus, in Missis conventualibus et in omnibus Missis lectis.

109. Commemorationes *privilegiatæ* sunt commemorationes:

- a) de dominica;
- b) de die liturgico I classis;
- c) de diebus infra octavam Nativitatis Domini;
- d) de feriis Quatuor Temporum mensis septembris;

- e)* de feriis Adventus, Quadragesimæ et Passionis;
- f)* de Litanis maioribus, in Missa.

Omnes aliæ commemorationes sunt commemorationes *ordinariæ*.

110. In Officio et Missa S. Petri semper fit commemoratio S. Pauli, et vicissim. Hæc commemoratio dicitur *inseparabilis*; et duæ orationes adeo in unam coalescere censentur ut, in numero orationum computando, pro unica habeantur. Proinde:

- a)* in Officio S. Petri aut S. Pauli, oratio alterius Apostoli additur, ad Laudes et Vesperas, sub unica conclusione, orationi diei, absque antiphona et versu;
- b)* in Missa S. Petri aut S. Pauli, oratio alterius Apostoli additur, sub unica conclusione, orationi diei;
- c)* quoties vero oratio unius Apostoli addenda est *ad modum commemorationis*, huic orationi additur altera immediate, ante omnes alias commemorationes.

111. Ratio admittendi commemorationes hæc est:

- a)* in diebus liturgicis I classis et in Missis in cantu non conventualibus, nulla admittitur commemoratio, præter unam privilegiatam;
- b)* in dominicis II classis, una tantum admittitur commemoratio, scilicet de festo II classis, quæ tamen omittitur si commemoratio privilegiata facienda sit;
- c)* in aliis diebus liturgicis II classis, una tantum admittitur commemoratio, scilicet aut una privilegiata aut una ordinaria;
- d)* in diebus liturgicis III et IV classis, duæ tantum admittuntur commemorationes.

112. Ad commemorationes et orationes quod attinet, hæc insuper servantur:

a) Officium, Missa aut commemoratio de aliquo festo vel mysterio unius Divinæ Personæ excludit commemorationem aut orationem de alio festo vel mysterio eiusdem Divinæ personæ;

b) Officium, Missa aut commemoratio de dominica excludit commemorationem aut orationem de festo vel mysterio Domini, et vicissim;

c) Officium, Missa aut commemoratio de Tempore excludit aliam commemorationem de Tempore;

d) item, Officium, Missa aut commemoratio de B. Maria Virg. aut de aliquo Sancto vel Beato excludit aliam commemorationem aut orationem in qua eiusdem B. Mariæ Virg., vel Sancti aut Beati intercessio imploretur: quod tamen non valet de oratione dominicæ vel feriæ, in qua fit invocatio eiusdem Sancti.

113. Commemoratio de Tempore fit primo loco. In admittendis et ordinandis aliis commemorationibus, servetur ordo tabellæ præcedentiæ.

114. Quælibet commemoratio, quæ numerum pro singulis diebus liturgicis statutum superet, omittitur.

Caput XVII

DE CONCLUSIONE ORATIONUM

115. Conclusio orationum tam in Missa quam in Officio hæc est:

a) si oratio dirigitur ad Patrem, concluditur: **Per Dóminum nostrum Iesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti, Deus, per ómnia sácula sáculorum. Amen;**

b) si oratio dirigitur ad Patrem, sed in eius principio fit mentio

Filii, concluditur: *Per eúndem Dóminum nostrum*, etc. ut supra;

c) si oratio dirigitur ad Patrem, sed in fine ipsius fit mentio Filii, concluditur: *Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti, Deus, per ómnia sáecula seculórum. Amen;*

d) si oratio dirigitur ad Filium, concluditur: *Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitáte Spíritus Sancti, Deus, per ómnia sáecula seculórum. Amen;*

e) si in oratione facta est mentio Spiritus Sancti, in conclusione dicitur: ... *in unitáte eiúsdem Spíritus Sancti*, etc.

116. Servandæ sunt etiam aliæ peculiare conclusiones in libris liturgicis quandoque notatæ.

Caput XVIII **DE COLORIBUS PARAMENTORUM**

A – De coloribus paramentorum in genere

117. Paramenta altaris, celebrantis et ministrorum debent esse coloris convenientis Officio et Missæ diei aut alteri Missæ celebrandæ, secundum usum Romanæ Ecclesiæ, quæ quinque coloribus uti consuevit: albo, rubro, viridi, violaceo et nigro. Indulta tamen et consuetudines legitimæ circa usum aliorum colorum in suo robore manent. Sicubi vero in regionibus Missionum, ex probata et originali traditione gentis indigenæ, significatio unius vel alterius coloris liturgici Ecclesiæ Romanæ cum significatione quæ illis populis congenita est non congruit, Conferentiæ episcopali eiusdem regionis, vel maioris territorii, si ita magis conveniat, facultas datur, ut in locum coloris inepti alium colorem magis aptum substituant; hoc tamen non fiat inconsulta S. Rituum Congregatione.

118. Ad colorem paramentorum in Missis votivis lectis IV classis quod attinet, ea quæ n. 323 traduntur, recolantur.

B – De colore albo

119. Colore albo utendum est in *Officio et Missa de Tempore*:

- a)* a festo Nativitatis Domini usque ad expletum tempus Epiphaniæ;
- b)* a Missa Vigiliæ paschalis usque ad Missam vigiliæ Pentecostes exclusive.

120. Adhibetur color albus in *Officio et Missa de festis*:

- a)* Domini, exceptis festis de mysteriis et instrumentis Passionis;
- b)* B. Mariæ Virg., etiam in benedictione et processione candelarum die 2 februarii;
- c)* Ss. Angelorum;
- d)* Omnium Sanctorum (1 novembris);
- e)* Sanctorum non Martyrum;
- f)* S. Ioannis Ap. et Ev. (27 decembris); Cathedræ S. Petri (22 februarii); Conversionis S. Pauli (25 ianuarii); Nativitatis S. Ioannis Baptistæ (24 iunii).

121. Colorem album requirunt *Missæ votivæ*:

- a)* quæ respondent festis, de quibus numero præcedenti;
- b)* de D. N. Iesu Christo, summo atque æterno Sacerdote;
- c)* de coronatione Summi Pontificis, et de anniversariis Summi Pontificis et Episcopi diœcesani;
- d)* «Pro Sponsis».

122. Demum adhibetur color albus, feria V Hebdomadæ sanctæ, in Missa Chrismatis et in Missa in Cena Domini; necnon, a diacono, pro cantu præconii paschalis et, a celebrante, ad renovationem promissionum baptismatis in Vigilia paschali.

C – De colore rubro

123. Rubro colore utendum est in *Officio et Missa de Tempore* a Missa vigiliæ Pentecostes usque ad Nonam sabbati sequentis.

124. Item adhibetur color ruber in *Officio et Missa de festis*:

- a) mysteriorum et instrumentorum Passionis Domini;
- b) Sanctorum Apostolorum et Evangelistarum, in eorum die natalicio, excepto festo S. Ioannis (27 decembris);
- c) Commemorationis S. Pauli Apostoli (30 iunii);
- d) Commemorationis omnium Ss. Summorum Pontificum;
- e) Sanctorum Martyrum, quorum colitur aut martyrium, aut inventio, aut translatio;
- f) Sanctarum Reliquiarum.

125. Colorem rubrum requirunt *Missæ votivæ*:

- a) de Passione Domini;
- b) de Spiritu Sancto;
- c) de Mysteriis et Sanctis, de quibus numero præcedenti;
- d) pro eligendo Summo Pontifice.

126. Demum adhibetur color ruber, dominica II Passionis seu in palmis, ad benedictionem et processionem ramorum.

D – De colore viridi

127. Color viridis adhibetur in *Officio et Missa de Tempore*:

- a) a die 14 ianuarii usque ad sabbatum ante Septuagesimam;
- b) a feria II post dominicam I post Pentecosten, usque ad sabbatum ante Adventum.

Excipiuntur feriæ Quatuor Temporum mensis septembris et vigiliæ II et III classis, extra tempus paschale.

E – De colore violaceo

128. Color violaceus adhibetur *in Officio et Missa de Tempore*:

- a)* a dominica I Adventus usque ad vigiliam Nativitatis Domini inclusive;
- b)* a dominica in Septuagesima usque ad Vigiliam paschalem, exceptis: benedictione et processione ramorum in dominica II Passionis; Missa sive Chrismatis sive in Cena Domini feria V Hebdomadæ sanctæ; Actione liturgica feria VI in Passione et Morte Domini usque ad Communionem exclusive; necnon cantu præconii paschalis, pro diacono, et renovatione promissionum baptismatis, pro celebrante, in Vigilia paschali;
- c)* in feriis Quatuor Temporum mensis septembris;
- d)* in vigiliis II et III classis, extra tempus paschale.

129. *Missæ votivæ*, quæ colorem violaceum requirunt, sunt:

- a)* Pro Fidei propagatione;
- b)* Pro Ecclesiæ defensione;
- c)* Pro unitate Ecclesiæ;
- d)* Tempore belli;
- e)* Pro pace;
- f)* Pro vitanda mortalitate;
- g)* Pro remissionem peccatorum;
- h)* Pro peregrinantibus et iter agentibus;
- i)* Pro infirmis;
- l)* Ad postulandam gratiam bene moriendi;
- m)* Pro quacumque necessitate.

130. Adhibetur color violaceus etiam:

- a)* ad processionem et Missam in Litaniis maioribus et minoribus;
- b)* ad benedictionem cinerum;
- c)* ad Communionem in Actione liturgica feriæ VI in Passione

et Morte Domini;

d) in Missis de Commemoratione omnium Fidelium defunctorum, quæ celebrantur tempore expositionis Ss.mi Sacramenti pro oratione Quadraginta Horarum.

131. Paramenta *coloris rosacei* adhiberi possunt, dominica III Adventus et dominica IV Quadragesimæ, sed in Officio et Missa diei dominici tantum.

F – *De colore nigro*

132. Nigro colore utendum est:

a) in Actione liturgica feriæ VI in Passione et Morte Domini, usque ad Communionem exclusive;

b) in Officiis ac Missis defunctorum, excepto casu de quo supra, n. 130 d.

Caput XIX DE USU ET QUALITATE PARAMENTORUM

133. In Missa, sacerdos celebrans semper utitur planeta seu casula.

134. Episcopus, et alii qui usu Pontificalium gaudent, si solemniter celebrant, planetam induunt super dalmaticam et tunicellam.

Item, planetam super dalmaticam et tunicellam induit Episcopus, etiam in Missa lecta:

- a)* in consecratione Episcopi;
- b)* in collatione sacrorum Ordinum;
- c)* in benedictione Abbatis;
- d)* in benedictione Abbatissæ;
- e)* in benedictione et consecratione Virginum;
- f)* in consecratione ecclesiæ et altaris.

Attamen Episcopus aliique de quibus supra, ex rationabili causa, a sumenda tunicella et dalmatica subter planetam abstinere possunt.

135. Pluviale adhibetur:

- a)* in Officio Laudum et Vesperarum, quando solemniter dicitur;
- b)* in benedictionibus quæ fiunt ad altare;
- c)* in processionibus;
- d)* in absolutione super cadaver aut super tumulum;
- e)* in Missa pontificali, a presbytero assistente;
- f)* ad «orationes solemnes» in Actione liturgica feriæ VI in Passione et Morte Domini;
- g)* in Vigilia paschalis.

136. Cum celebrans utitur pluviali, nunquam adhibet manipulum; et si pluviale haberi non potest, in benedictionibus quæ fiunt ad altare, sacerdos stat in alba cum stola, sine planeta et manipulo.

137. Dalmatica et tunicella utuntur diaconus, respective subdiaconus, quando sacerdoti ministrant:

- a) in Missa;
- b) in benedictionibus ad altare;
- c) in processionibus.

Attamen cum sacerdos celebrans stat sine pluviali, etiam ministri stant sine dalmatica et tunicella. Planetæ plicatæ et stola latior amplius non adhibentur.



RUBRICÆ GENERALES BREVIARII ROMANI

Caput I NORMÆ GENERALES

138. Horæ canonicæ Breviarii romani sunt: Matutinum, Laudes, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Vesperæ et Completorium. Ex his Matutinum, Laudes et Vesperæ dicuntur *Horæ maiores*; Prima, Tertia, Sexta, Nona et Completorium *Horæ minores* appellantur. Completorium vero a rubricis plerumque separatim consideratur.

139. Obligatio dicendi divinum Officium comprehendit omnes Horas canonicas cursus quotidiani.

140. Officium divinum absolvitur aut *in choro*, aut *in communi*, aut *a solo*. Dicitur autem *in choro*, si absolvitur a communitate per leges ecclesiasticas choro obligata; *in communi* vero, si idem fit a communitate, quæ choro non est adstricta.

141. Normæ quæ sequuntur valent tam pro absoluteione divini Officii *in choro* vel *in communi* (etsi fiat a duabus vel tribus personis tantum) quam pro absoluteione *a solo*, nisi aliter expresse caveatur.

Caput II DE TEMPORE DICENDI HORAS CANONICAS

142. Horæ canonicæ Officii divini ordinantur, ex earum constitutione, ad sanctificationem diversarum horarum diei naturalis. Præstat, proinde, sive ad diem revera sanctificandum sive ad ipsas Horas cum fructu spiritualis recitandas, ut in earum absoluteione, tempus servetur quod proxime accedat ad tempus verum uniuscuiusque Horæ canonicæ.

143. Attamen ad satisfaciendum obligationi divini Officii recitandi, sufficit ut omnes Horæ canonicæ intra spatium viginti quatuor horarum diei dicantur.

144. *Matutinum*, ex iusta causa, horis pomeridianis diei præcedentis anticipare licet, non tamen ante horam quartamdecimam.

145. *Laudes*, cum sint precatio matutina, *in choro* et *in communi* primo mane dicuntur: quod convenienter servatur etiam in recitatione *a solo* facta.

146. *Vesperæ*, etiam tempore Quadragesimæ et Passionis, *in choro* et *in communi*, horis pomeridianis dicuntur: quod convenienter servatur etiam in recitatione *a solo* facta.

147. *Completorium*, ab omnibus qui ad recitationem divini Officii obligantur, præsertim autem in familiis religiosis, valde opportune dicitur tamquam ultima precatio in fine diei, etiam si, ob iustam causam, Matutinum diei sequentis iam anticipatum fuerit.

Hoc in casu, *Pater noster*, alias dicendum post versum *Adiutorium nostrum*, omittitur et eius loco, *in choro* et *in communi*, fit examen conscientiaë per rationabile tempus protractum; deinde dicuntur *Confiteor* et reliqua, more solito; quod convenienter servatur etiam in recitatione *a solo* facta.

Caput III

DE CALENDARIO ADHIBENDO IN RECITATIONE DIVINI OFFICII

148. Officium divinum absolvendum est iuxta calendarium proprium vel, eo deficiente, iuxta calendarium Ecclesie universæ, prout numeris sequentibus indicatur.

149. *Beneficarii* sequi tenentur calendarium suæ ecclesie (n. 53 b).

150. *Clerici diæcesani* sequi debent calendarium ecclesie vel oratorii cui stabiliter sunt addicti (n. 53 b); vel, si nulli ecclesie vel oratorio sint stabiliter addicti, aut si extra suam diæcesim diutius versentur, calendarium suæ diæcesis, additis festis loci in quo domicilium habeant (n. 44), aut calendarium loci in quo commorantur.

151. *Religiosi* utriusque sexus *choro adstricti* servant calendarium suæ domus (n. 56 b); aut, quando choro intersunt in alia domo sui Ordinis, calendarium illius domus in qua actu versantur.

152. *Religiosi* calendarium proprium habentes, sed *choro non adstricti*, servant calendarium suæ domus (n. 56 b); aut, si in alia domo suæ Congregationis seu Instituti Officium in communi recitant, calendarium illius domus in qua actu versantur.

153. *Religiosi qui calendarium proprium non habent*, servant calendarium suæ ecclesiæ (n. 53 b), additis tamen festis propriis et indultis.

154. In seminariis et collegiis clericorum diœcesanis, Religiosis commissis, pro absoluteione divini Officii in communi, sive a clericis sive a Religiosis qui una cum clericis Officium in communi dicunt, adhibendum est calendarium loci (n. 53 a), additis festis ecclesiæ seminarii vel collegii (n. 45), data insuper facultate adiungendi festa Tituli necnon sancti Fundatoris Religiosorum quibus regimen seminarii commissum est.

155. In seminariis et collegiis clericorum interdiœcesanis, regionalibus, nationalibus et internationalibus, pro absoluteione Officii divini in communi, adhibendum est calendarium Ecclesiæ universæ, additis festis Patroni principalis nationis, regionis seu provinciæ sive ecclesiasticæ sive civilis, diœcesis, oppidi vel civitatis, anniversario Dedicationis ecclesiæ cathedralis diœcesis et aliis festis actu feriatis, si quæ sint, necnon festis ecclesiæ seminarii vel collegii (n. 45). Si autem huiusmodi seminariorum regimen Religiosis commissum sit, calendarium Ecclesiæ universæ adhibendum est etiam a Religiosis qui una cum clericis Officium in communi absolvunt, data tamen facultate addendi festa Tituli Ordinis seu Congregationis necnon sancti Fundatoris Religiosorum quibus regimen seminarii commissum est.

156. In collegiis et domibus interprovincialibus, nationalibus et internationalibus Religiosorum, pro absoluteione divini Officii in choro vel in communi, adhibendum est calendarium proprium Ordinis seu Congregationis universæ (n. 55), additis tantum festis propriæ ecclesiæ (n. 45) necnon festis de quibus n. 57.

157. Quivis tamen clericus diœcesanus, aut quivis religiosus utriusque sexus, Officio divino quolibet titulo adstrictus, qui Officio participat *in choro* vel *in communi* iuxta aliud calendarium aut alium ritum quam suum, hoc modo suo muneri, quoad hanc partem Officii, satisfacit. Item cum quis Vesperis votivis alicuius solemnitatis externæ participat, suo muneri, quoad hanc partem Officii, satisfacit, dummodo prædictæ Vesperæ integræ et servatis rubricis celebratæ fuerint.

Caput IV

DE ORDINANDO DIVINO OFFICIO

A – *De ordinando divino Officio in genere*

158. De extensione divini Officii pro singulis diebus liturgicis, supra dictum est, numeris scilicet 13, 27, 34, 37.

159. De qualitate divini Officii recitandi, et de ratione sumendi singulas Horarum partes, iuxta dierum liturgicorum diversitatem, infra nn. 165-177 dicitur.

160. Ratio dicendi singulas Horas habetur in Ordinario divini Officii.

161. *Matutinum cum tribus Nocturnis, scilicet novem psalmorum cum novem lectionibus* habent:

- a) festa I et II classis;
- b) feriæ Tridui sacri;
- c) dies octavus Nativitatis Domini;
- d) Commemoratio omnium Fidelium defunctorum.

162. *Matutinum cum unico Nocturno novem psalmorum et trium lectionum* habent:

- a) dominicæ omnes, præter dominicas Paschatis et Pentecostes;
- b) omnes feriæ, exceptis feriis Tridui sacri;
- c) omnes vigiliæ;
- d) festa III classis;
- e) dies infra octavam Nativitatis Domini;
- f) Officium sanctæ Mariæ in sabbato.

163. *Matutinum cum unico Nocturno trium psalmorum et trium lectionum* habent dominicæ Paschatis et Pentecostes et dies infra earum octavas.

164. Festa quæ non habent I Vesperas et, ob quamlibet causam, iuxta rubricas eas acquirunt, omnia sumunt e II Vesperis, iis tantum exceptis, quæ forte pro I Vesperis propria ponuntur.

B – De Officio dominicali

165. *Officium dominicale* competit diebus dominicis, in quibus non occurrat festum quod ipsi dominicæ præferatur. Habent tamen peculiarem ordinationem Officii:

- a) dominicæ Paschatis et Pentecostes;
- b) dominica infra octavam Nativitatis Domini.

166. *Officium dominicale* ordinatur hoc modo:

a) *Ad I Vesperas*: omnia ut in Ordinario et Psalterio, sabbato præcedenti, iis exceptis quæ propria assignantur.

b) *Completorium* subsequens: de sabbato.

c) *Ad Matutinum*: invitorium et hymnus ut in Ordinario vel Psalterio; antiphonæ, psalmi et versus unici Nocturni, ut in Psalterio dominicæ; absolutio **Exáudi**, benedictiones **Ille nos, Divínium auxílium, Per evangélica dicta**; lectiones prima et secunda, cum suis responsoriis, de Scriptura occurrenti (n. 220 a); Lectio tertia de homilia in Evangelium diei (n. 220 b); hymnus **Te Deum**, qui omittitur in dominicis Adventus, et a dominica in Septuagesima usque ad dominicam II Passionis; quo in casu, dicitur tertium responsorium.

d) *Ad Laudes*: antiphonæ, nisi propriæ assignentur, de Psalterio; psalmi e Psalterio dominicæ, e I vel II schemate, iuxta diversitatem temporum (n. 197); capitulum, hymnus et versus, ut in Ordinario vel Psalterio aut Proprio de Tempore; reliqua ut in Proprio de Tempore.

e) *Ad Primam*: antiphona, nisi propria habeatur, et psalmi e Psalterio de dominica; capitulum et reliqua ut in Ordinario; Lectio brevis de Tempore.

f) *Ad Tertiam, Sextam et Nonam*: omnia ut in Ordinario et Psalterio, iis exceptis quæ propria assignantur.

g) *Ad II Vesperas*: omnia ut in Ordinario et Psalterio, iis exceptis quæ propria assignantur.

h) *Completorium*: de dominica.

C – *De Officio festivo*

167. *Officium festivum* competit festis I classis; et ordinatur hoc modo:

- a) *Ad I Vesperas*: omnia e Proprio vel Communi.
- b) *Completorium* subsequens: de dominica.
- c) *Ad Matutinum*: omnia e Proprio vel Communi; et dicitur hymnus **Te Deum**.
- d) *Ad Laudes*: omnia e Proprio vel Communi, cum psalmis de dominica, primo loco.
- e) *Ad Primam*: antiphona prima e Laudibus; psalmi 53, 118 i et 118 ii; capitulum et reliqua, ut in Ordinario; Lectio brevis de Tempore.
- f) *Ad Tertiam, Sextam et Nonam*: antiphonæ secunda, tertia et quinta e Laudibus, per ordinem; psalmi de dominica; reliqua e Proprio vel Communi.
- g) *Ad II Vesperas*: omnia e Proprio vel Communi.
- h) *Completorium*: de dominica.

D – *De Officio semifestivo*

168. *Officium semifestivum* competit festis II classis; et ordinatur hoc modo:

- a) *Ad Matutinum, Laudes et Vesperas*: omnia ut in Officio festivo;
- b) *Ad Primam*: antiphona et psalmi e Psalterio, de currenti hebdomadæ die; capitulum et reliqua, ut in Ordinario; Lectio brevis de Tempore.
- c) *Ad Tertiam, Sextam et Nonam*: antiphonæ et psalmi e Psalterio de currenti hebdomadæ die; reliqua de festo, ut in Proprio vel Communi.

d) *Completorium*: de dominica.

E – *De Officio ordinario*

169. *Officium ordinarium* competit festis III classis necnon Officio sanctæ Mariæ in sabbato; et ordinatur hoc modo:

a) *Ad Matutinum*: invitorium et hymnus e Proprio vel Communi; antiphonæ, psalmi et versus unici Nocturni e Psalterio de currenti hebdomadæ die, nisi propria aut de Communi assignentur (n. 177); lectiones prima et secunda, cum suis responsoriis, de Scriptura, ut n. 221 a indicatur; Lectio tertia de festo (n. 221 b); et dicitur hymnus **Te Deum**.

b) *Ad Laudes et ad Vesperas*: antiphonæ et psalmi ut in Psalterio de currenti hebdomadæ die, nisi propria aut de Communi assignentur (n. 177); reliqua ut in Proprio vel Communi.

c) *Ad Primam*: antiphona et psalmi e Psalterio de currenti hebdomadæ die; capitulum et reliqua, ut in Ordinario; Lectio brevis de Tempore.

d) *Ad Tertiam, Sextam et Nonam*: antiphonæ et psalmi ut in Psalterio de currenti hebdomadæ die; reliqua de festo, ut in Proprio vel Communi.

e) *Completorium*: de currenti hebdomadæ die.

F – *De Officio feriali*

170. *Officium feriale* competit omnibus feriis et vigiliis, exceptis:

- a) Triduo sacro;
- b) vigilia Nativitatis Domini.

171. Officium feriale ordinatur hoc modo:

a) *Ad Matutinum*: invitatorium et hymnus e Psalterio vel Ordinario, iuxta diversitatem temporum; antiphonæ, psalmi et versus unici Nocturni e Psalterio, de currenti hebdomadæ die; *in feriis*, tres lectiones de Scriptura occurrenti vel de homilia in Evangelium diei cum suis responsoriis; *in vigiliis*, tres lectiones propriæ de homilia cum responsoriis de feria currenti. Hymnus **Te Deum** dicitur tantum in feriis temporis natalicii et paschalis; aliis temporibus dicitur tertium responsorium.

b) *Ad Laudes et ad Vesperas*: omnia ut in Psalterio, de currenti hebdomadæ die, et in Ordinario, iuxta diversitatem temporum, iis exceptis quæ propria assignantur. In feriis, sumitur oratio propria si habeatur, secus de dominica præcedenti, nisi alia assignetur; in vigiliis autem dicitur oratio propria.

c) *Ad Primam*: antiphona, nisi propria assignetur, et psalmi e Psalterio, de currenti hebdomadæ die; capitulum et reliqua, ut in Ordinario; Lectio brevis de Tempore.

d) *Ad Tertiam, Sextam et Nonam*: antiphona, nisi propria assignetur, et psalmi e Psalterio de currenti hebdomadæ die; capitulum et reliqua, ut in Ordinario, iuxta diversitatem temporum; oratio ut ad Laudes.

e) *Completorium*: de currenti hebdomadæ die.

G – *De quibusdam peculiaritatibus in ordinando Officio divino*

172. *In dominicis Paschatis et Pentecostes, et diebus infra earum octavas, ad Horas minores, dicuntur psalmi de dominica, ad Primam tamen ut in festis, scilicet psalmi 53, 118 i et 118 ii.*

173. *In Triduo sacro, in vigilia Nativitatis Domini, et in Officiis defunctorum, Officium ordinatur iuxta speciales rubricas quæ, suis locis, in Breviario inveniuntur.*

174. *In festis Domini II classis, quæ in dominicis Septuagesimæ, Sexagesimæ aut Quinquagesimæ occurrant, ad Horas minores sumuntur antiphonæ e Laudibus, ut in Officio festivo, retentis tamen, ad Primam, psalmis de dominica, scilicet psalmis 117, 118 i et 118 ii.*

175. *Diebus infra octavam Nativitatis Domini, liberis a festis Sanctorum, Officium ordinatur hoc modo:*

a) Matutinum habet novem psalmos cum tribus lectionibus. Invitatorium, hymnus, antiphonæ et psalmi dicuntur ut in festo Nativitatis; versus, ut in tertio Nocturno festi; tres vero lectiones de Scriptura occurrenti cum suis responsoriis, ut singulis diebus indicatur.

b) Ad Laudes: omnia ut in festo Nativitatis Domini.

c) Ad Horas minores dicuntur antiphonæ et psalmi de die currenti, ut in Psalterio; reliqua ut in festo Nativitatis.

d) Ad Vesperas, excepto die 31 decembris, antiphonæ et psalmi sumuntur e II Vesperis diei Nativitatis; a capitulo autem fit de octava, ut in festo, nisi faciendum sit de sequenti dominica aut de sequenti festo I classis.

e) *Completorium*: de dominica.

176. In dominica infra octavam Nativitatis Domini, Officium ordinatur eodem modo ac aliis diebus infra octavam (n. 175), retentis iis quæ propria habentur. Ad lectiones vero Matutini quod attinet, hæc servantur:

a) si dominica die 26, 27 aut 28 decembris occurrit, lectiones prima et secunda, cum suis responsoriis, sumuntur e primo Nocturno diei Nativitatis, modo in n. 221 indicato; tertia vero de homilia in Evangelium diei (n. 220 b);

b) si aliis diebus occurrit, lectiones prima et secunda dicuntur de Scriptura occurrenti, et tertia de homilia in Evangelium diei, ut in Officio dominicali (n. 220).

177. In festis III classis, tam universalibus quam particularibus, quæ ad certas Horas habent aut antiphonas proprias et psalmos de Communi, aut antiphonas proprias et psalmos specialiter assignatos, servantur rubricæ particulares quæ, in Breviario, suis locis occurrunt.

Caput V DE DIVERSIS OFFICII PARTIBUS

A – *De initio et fine Horarum*

178. Horæ canonicæ sive *in choro*, sive *in communi*, sive *a solo*, inchoantur absolute hoc modo:

a) *Matutinum* a versu **Dómine, lábia mea apéries;**

b) *Laudes, Horæ minores et Vesperæ*, a versu: **Deus, in adiutórium meum inténde;**

c) *Completorium* a versu **Iube, domne (Dómine), benedícere.**

179. Item Horæ canonicæ sive sive *in choro*, sive *in communi*, sive *a solo*, absolvuntur hoc modo:

a) *Matutinum* (si a *Laudibus* separetur), *Laudes*, *Tertia*, *Sexta*, *Nona et Vesperæ*: versu **Fidélium ánimæ**;

b) *Prima*, benedictione **Dóminus nos benedícat**;

c) *Completorium*, benedictione **Benedícat et custódiat.**

180. In Officio Tridui sacri et defunctorum, Horæ inchoantur et absolvuntur ut in Breviario notatur. Item, *Matutinum* festi Epiphaniæ Domini modo proprio inchoatur.

B – De conclusione Officii

181. Cursus cotidianus divini Officii concluditur, post *Completorium*, antiphona B. Mariæ Virg. cum suo versu ac oratione, et cum versu **Divinum auxílium**, exceptis Officiis Tridui sacri et defunctorum.

C – De invitatorio

182. Invitatorium cum psalmo 94, **Veníte, exsultémus**, dicitur, modo in Ordinario descripto, in initio *Matutini* cuiusque Officii, exceptis Officiis Tridui sacri, et festi Epiphaniæ Domini.

183. In fine invitatorii, tempore paschali, additur **Allelúia**, nisi iam habeatur.

184. Ratio sumendi invitatorium, iuxta diversitatem dierum liturgicorum, habetur supra, ubi agitur de ordinando Officio divino (nn. 165-177).

D – *De hymnis*

185. Hymni dicuntur in qualibet Hora, loco Ordinario indicato. Omittuntur vero in Matutino Epiphaniæ Domini, a Matutino feriæ V in Cena Domini usque ad Nonam sabbati in albis, et in Officio defunctorum.

186. Ad Horas minores et ad Completorium semper dicuntur hymni in Ordinario pro iisdem Horis assignati, præterquam in festo Pentecostes et infra octavam, ad Tertiam.

187. Hymni proprii, certis Horis assignati, nunquam ad aliam Horam transferuntur.

188. Quilibet hymnus semper dicitur sub conclusione quæ ipsi in Breviario assignatur, exclusa quavis conclusionis mutatione ratione festi vel Temporis.

189. Officium commemoratum nunquam doxologiam propriam inducit in fine hymnorum Officii diei.

E – *De antiphonis*

190. Antiphonæ dicuntur ad omnes Horas ante et post psalmos et cantica, una vel plures iuxta diversitatem Officii et Horarum, ut suis locis indicatur. Omittuntur vero, ad Horas minores et ad Completorium: in Triduo sacro, in dominica et per octavam Paschatis, et in Officio defunctorum diei 2 novembris.

191. Antiphonæ dicuntur semper integræ ante et post psalmos et cantica, ad omnes Horas, tam maiores quam minores. Asteriscus, qui post prima antiphonæ verba notatur, indicat eousque intonationem esse producendam.

192. Antiphonæ propriæ certis Horis assignatæ, si dici nequeunt, non transferuntur, sed omittuntur.

193. Antiphona ad **Magnificat** in I Vesperis dominicæ primæ mensis augusti, septembris, octobris et novembris ea est, quæ in Breviario ante dominicam primam cuiusque mensis invenitur, et respondet libro sacræ Scripturæ in dominica legendo.

194. Ad Vesperas feriæ VI, tempore paschali, pro antiphona ad **Magnificat** resumitur antiphona ad **Magnificat** e II Vesperis dominicæ præcedentis.

195. In fine antiphonarum, tempore paschali, additur **Allelúia**, nisi iam habeatur. A Septuagesima autem usque ad Sabbatum sanctum, **Allelúia**, si forte in antiphonis occurrat, omittitur.

F – *De psalmis et canticis*

196. Psalmi, ad singulas Horas, sumuntur secundum normas de ordinando Officio iuxta diversitatem dierum liturgicorum (**nn. 165-177**).

197. Ad Matutinum feriæ IV et, singulis hebdomadæ diebus, ad Laudes, in Psalterio, duplex ponitur psalmorum schema. Alterum psalmorum schema adhibetur:

a) in dominicis temporis Septuagesimæ, Quadragesimæ et Passionis;

b) in omnibus feriis temporis Adventus, Septuagesimæ, Quadragesimæ et Passionis, Quatuor Temporum septembris, et in vigiliis II et III classis extra tempus paschale.

Reliquis diebus, sumitur primum psalmorum schema.

198. Quando psalmus vel canticum incipit per eadem verba quibus constat antiphona, hæc verba omittuntur, et psalmus vel canticum inchoatur ab eo verbo ante quod desinit antiphona, dummodo post antiphonam non sit addendum **Allelúia**.

199. Psalmus, qui in Hora cui specialiter assignatur dici nequit, non transfertur, sed omittitur.

200. Cantica **Benedíctus**, **Magníficat** et **Nunc dimíttis** dicuntur suo loco, ut in Ordinario indicatur.

201. In fine psalmorum et canticorum, excepto cantico **Benedícite**, dicitur **Glória Patri**, quod omittitur per Triduum sacrum.
In Officio defunctorum tamen, loco versus **Glória Patri** dicitur versus **Réquiem ætérrnam**, ut suo loco notatur.

202. Asteriscus in versibus psalmorum et canticorum denotat pausam cantus vel recitationis *in choro* et *in communi* servandam.

G – *De symbolo athanasiano*

203. Symbolum athanasianum dicitur solummodo in festo Ss.mæ Trinitatis, ad Primam, expletis psalmis, ante antiphonæ repetitionem.

H – *De versibus*

204. Versus dicuntur ad Matutinum post repetitam antiphonam ultimi psalmi cuiusque Nocturni. Ad Laudes vero et ad Vesperas versus dicitur post hymnum; ad Horas minores et ad Completorium post responsorium breve.

205. In Triduo sacro, versus dicitur in singulis Nocturnis et Laudibus tantum; in festo et per octavam Paschatis in solo Nocturno; in Officio defunctorum ad singulos Nocturnos, Laudes et Vesperas, ut suis locis notatur.

206. Tempore paschali versibus additur *Allelúia*, nisi iam habeatur. Excipiuntur versus qui in Ordinario sine *Allelúia* ponuntur.

207. Ratio sumendi versus, iuxta diversitatem Officiorum et Horarum, habetur supra, ubi agitur de ordinando divino Officio (nn. 165-177).

I – De absolutionibus et benedictionibus ante lectiones

208. Absolutio et benedictiones dicuntur, ad Matutinum, ante lectiones cuiusque Nocturni, prout in Ordinario indicatur. Omittuntur in Officiis Tridui sacri et defunctorum.

209. In Matutino Officii sanctæ Mariæ in sabbato ponuntur absolutio et benedictiones propriæ; item exstant benedictiones propriæ in III Nocturno Matutini Nativitatis Domini.

210. Benedictiones propriæ invariabiles habentur ante lectionem ante lectionem brevem ad Primam et ad Completorium.

L – De lectionibus ad Matutinum

I – De lectionibus in genere

211. In fine cuiusque Nocturni dicuntur tres lectiones. Proinde Officia cum tribus Nocturnis habent novem lectiones; Officia vero cum uno Nocturno tres.

212. Nomine «Scripturæ occurrentis» designantur lectiones sacræ Scripturæ primo vel unico Nocturno assignatæ et certo ordine per singulos dies in Proprio de Tempore dispositæ.

213. Lectiones de Scriptura occurrenti, si die assignato dici nequeunt, omittuntur, etsi agatur de initiis librorum, excepto initio Epistolæ I ad Corinthios, quod, cum die 13 ianuarii occurrit dominica I post Epiphaniam, sabbato præcedenti legitur.

214. Officia commemorata non habent lectionem in Officio diei.

215. Lectiones de Scriptura leguntur cum titulo libri sacri e quo sumuntur, nisi aliter expresse notetur; item lectiones de sermone vel tractatu vel documento pontificio, cum titulo et nomine auctoris; similiter præponitur nomen auctoris lectionibus de homilia in Evangelium diei.

216. In fine cuiusque lectionis dicitur: **Tu autem, Dómine, miserére nobis**, cui respondetur **Deo grátias**: quæ conclusio omittitur in Officiis Tridui sacri et defunctorum.

II – De lectionibus Officii trium Nocturnorum

217. Tres lectiones *primi Nocturni* sunt de Scriptura, et quidem:

a) in *Officio festivo et semifestivo*, aut propriæ aut specialiter assignatæ aut de Communi;

b) in *Officiis Tridui sacri*, propriæ.

218. Tres lectiones *secundi Nocturni* sunt:

a) in *Officio festivo et semifestivo*, de vita Sancti, aut de sermone vel tractatu diei assignato, ut in Proprio vel in Communi;

Si vero una vel duæ tantum lectiones propriæ aut assignatæ habeantur, numerus ternarius completur lectionibus de Communi.

b) in Officiis Tridui sacri, de sermone diei assignato.

219. Tres lectiones *tertii Nocturni* sunt:

a) in Officio festivo et semifestivo, de homilia in Evangelium diei;

b) in Officiis Tridui sacri, de Epistolis B. Pauli Apostoli, ut in Proprio.

III – De lectionibus Officii unius Nocturni

220. *In Officio dominicali, ordo trium lectionum hic est:*

a) Lectio prima et secunda dicuntur de Scriptura occurrenti, ut in Proprio. Prima autem Lectio Sacræ Scripturæ ea est, quæ in Breviario nunc ut prima notatur; altera vero efficitur ex secunda et tertia in unam coniunctis, omisso responsorio intermedio.

b) Lectio tertia dicitur de homilia in Evangelium diei; et sumitur ea quæ nunc in Breviario ponitur tamquam prima tertii Nocturni.

221. *In Officio ordinario, ordo trium lectionum hic est:*

a) Lectio prima et secunda dicuntur de Scriptura; et quidem ordinarie de Scriptura occurrenti, nisi propriæ vel specialiter assignatæ habeantur. Prima autem Lectio Sacræ Scripturæ ea est, quæ in Breviario ut prima notatur; altera vero efficitur ex secunda et tertia in unam coniunctis, omisso responsorio intermedio.

b) *Lectio tertia* dicitur de festo, scilicet propria, quæ antea communiter vocabatur «contracta»; qua deficiente, dicuntur lectiones propriæ (olim secundi Nocturni) simul coniunctæ. Si vero festum careat lectionibus propriis, pro tertia lectione sumitur quarta de Commune.

222. *In Officio feriali*, ordo trium lectionum hic est:

a) si agitur de Officio *vigiliæ* vel *feriæ cum homilia*, tres lectiones dicuntur de homilia in Evangelium diei;

b) si agitur de Officio *feriæ sine homilia*, leguntur tres lectiones de Scriptura occurrenti, prout in Breviario exhibentur.

IV – De quibusdam peculiaritatibus circa lectiones

223. Lectiones Officii defunctorum modo proprio ordinantur, ut suis locis notatur.

224. Per octavas Paschatis et Pentecostes dicuntur tres lectiones de homilia in Evangelium diei.

225. Superveniente dominica in Septuagesima, lectiones dominicis et feriis post Epiphaniam assignatæ, quæ locum habere non possunt, eo anno penitus omittuntur. Idem valet de lectionibus dominicarum post Pentecosten, et de lectionibus feriarum, easdem dominicas sequentium, quæ impediuntur superveniente prima dominica mensis augusti; necnon de lectionibus mensium augusti, septembris, octobris et novembris quæ impediuntur superveniente prima dominica mensis sequentis, vel prima dominica Adventus.

M – De responsoriis post lectiones ad Matutinum

I – De responsoriis in genere

226. Post quamlibet lectionem dicitur responsum, præterquam post ultimam, quando dicendus est hymnus **Te Deum**.

227. Responsoria adeo cum lectionibus connectuntur, ut eadem ratione ac lectiones sumenda sint, nisi aliter expresse caveatur.

228. Responsoria quæ suo die dici nequeunt, non transferuntur, sed omittuntur.

229. Tempore paschali, in fine cuiuslibet responsorii, ante versum, additur **Allelúia**, nisi iam habeatur; minime vero additur **Allelúia** post versum.

230. In fine ultimi responsorii cuiusque Nocturni, post repetitam ultimam partem responsorii, dicitur **Glória Patri**, et deinde iterum resumitur eadem ultima Lectio responsorii, nisi suo loco aliter notetur. Attamen, in Officio temporis Passionis, in ultimo responsorio cuiusque Nocturni omittitur **Glória Patri**, et eius loco resumitur integrum responsum ab initio usque ad versum exclusive. In Officio defunctorum autem, loco **Glória Patri**, in ultimo responsorio cuiusque Nocturni, dicitur **Réquiem ætérnam**.

231. Peculiaritates in dicendis responsoriis forte occurrentes, suis locis indicantur.

II – De responsoriis in Officiis trium Nocturnorum

232. Responsoria *trium Nocturnorum* hac ratione ordinantur:

- a) *in Officio festivo et semifestivo*, dicuntur propria aut de Communi;
- b) *in Officiis Tridui sacri*, dicuntur propria.

III – De responsoriis in Officiis unius Nocturni

233. *In Officio dominicali*, responsoria hoc modo ordinantur:

- a) primum, est responsorium quod ponitur post primam lectionem;
- b) secundum, est responsorium quod post tertiam lectionem olim inveniebatur. In fine huius responsorii omittitur **Glória Patri** et repetitio ultimæ partis responsorii, quando dicendum est tertium responsorium;
- c) tertium, quando dicendum occurrit, est responsorium quod post tertiam lectionem de homilia exstabat.

234. *In Officio ordinario* cum lectionibus de Scriptura occurrenti, responsoria hoc modo ordinantur:

- a) primum, est responsorium quod ponitur post primam lectionem;
- b) secundum, est responsorium quod post tertiam lectionem invenitur.

235. *In Officio ordinario* cum lectionibus de Scriptura propriis vel specialiter assignatis, responsoria dicuntur propria aut de Communi, eodem ordine ac supra (n. 234).

236. *In Officio feriali*, sive fiat de feria sive de vigilia, dicuntur responsoria de feria currenti, prout habentur in Proprio de Tempore.

N – *De hymno Te Deum*

237. Hymnus *Te Deum* dicitur ad Matutinum, post ultimam lectionem, loco noni vel tertii responsorii:

a) in dominica in albis, in dominica Pentecostes, et in Matutino dominicæ Resurrectionis, quod recitatur ab iis qui Vigiliæ paschali non interfuerunt;

b) in dominicis II classis, exceptis dominicis in Septuagesima, in Sexagesima et in Quinquagesima;

c) in omnibus festis;

d) per octavas Nativitatis Domini, Paschatis et Pentecostes;

e) in Officio feriali temporis natalicii et temporis paschalis;

f) in vigiliis Ascensionis et Pentecostes;

g) in Officio sanctæ Mariæ in sabbato.

238. Omittitur vero hymnus **Te Deum**:

a) in Officiis de Tempore a dominica I Adventus usque ad vigiliam Nativitatis Domini inclusive; et a dominica in Septuagesima usque ad Sabbatum sanctum inclusive;

b) in vigiliis II et III classis, excepta vigilia Ascensionis Domini;

c) in omnibus feriis per annum;

d) in Officio defunctorum.

239. Quando hymnus **Te Deum** omittitur, eius loco dicitur nonum vel tertium responsorium.

O – *De capitulis, et de lectione brevi ad Primam*

240. Capitulum dicitur ad omnes Horas, Matutino excepto, expletis psalmis cum suis antiphonis; ad Completorium autem post hymnum. Omittitur a Laudibus feriæ V in Cena Domini usque ad Nonam sabbati in albis et in Officio defunctorum.

241. Ad Primam semper dicitur capitulum **Regi sæculórum**; et ad Completorium **Tu autem in nobis**. Ad alias Horas sumitur ex Ordinario vel Psalterio, e Proprio vel Communi, iuxta Officiorum diversitatem (nn. 165-177).

242. Lectio brevis ad Primam dicitur semper de Tempore, prout in Ordinario.

P – De responsoriis brevibus Horarum minorum

243. Responsoria brevia dicuntur ad Horas minores et ad Completorium post capitulum; omittuntur vero a feria V in Cena Domini usque ad Nonam sabbati in albis, et in Officio defunctorum.

244. Ad Primam, in responsorio **Christe, Fili Dei vivi**, versus **Qui sedes** mutatur iis in Officiis et anni temporibus pro quibus proprius assignatur; nunquam tamen dicitur versus proprius festi commemorati. Responsorium breve Completorii nunquam mutatur. Ad Tertiam, Sextam et Nonam responsoria brevia sumuntur ex eodem loco ac capitula.

245. Quomodo responsoria brevia dicenda sint, sive extra tempus paschale sive tempore paschali, sive in Officio feriali temporis Passionis, in Ordinario indicatur. Extra tempus paschale, quamvis in aliquibus festis addenda sint duo **Allelúia** in fine responsorii brevis ante versum ad Tertiam, Sextam et Nonam, non ideo addenda sunt etiam ad Primam et ad Completorium.

Q – De orationibus

246. Oratio dicitur in fine cuiuslibet Horæ, loco in Ordinario notatur. Excipitur Matutinum, quando una cum Laudibus recitatur.

247. Orationi præmittitur, in recitatione *in choro* vel *in communi*, **Dóminus vobiscum**, cui respondetur **Et cum spíritu tuo**. In recitatione *a solo* facta, et ab iis qui in ordine diaconatus non sunt constituti, dicitur, nisi iam præcedat, **Dómine, exáudi oratióem meam**, et respondetur **Et clamor meus ad te véniat**. Deinde dicitur **Orémus**, et subiungitur oratio. Et sic in

recitatione *a solo*, loco **Dóminus vobiscum**, semper dicitur **Dómine, exáudi oratióem meam**, ut supra.

248. Ad Primam et ad Completorium oratio nunquam mutatur, nisi in Officio Commemorationis omnium Fidelium defunctorum et, in Triduo sacro, ad Primam. Ad alias Horas, sumitur oratio quæ ponitur ad Laudes; in feriis Quadragesimæ et Passionis tamen, ad Vesperas, exstat oratio propria.

249. Oratio Officii diei semper dicitur sub sua conclusione, salvo præscripto **n. 110 a.** Orationes vero, quæ ad commemorationes pertinent, concluduntur in ultima tantum; attamen **Orémus** dicitur ante quamlibet orationem.

R – *De commemorationibus*

250. Commemorationes fiunt iuxta normas in rubricis generalibus, **nn. 106-114**, datas.

251. Commemorationes ponuntur post orationem Officii diei; et fiunt per antiphonam quæ ponitur respective ad **Benedíctus** vel ad **Magníficat** in Officio commemorato, per versum qui eam præcedit et per orationem, salvo præscripto **n. 110 c.**

252. Ad faciendam commemorationem Officii dominicæ, feriæ et vigiliæ Ascensionis, antiphona et versus sumuntur e Proprio de Tempore, Psalterio vel Ordinario, oratio autem e Proprio de Tempore; ad faciendam commemorationem vero octavæ Nativitatis vel Officii Sanctorum, antiphona, versus et oratio sumuntur e Proprio vel Communi; ad faciendam demum commemorationem vigiliæ II et III classis, antiphona et versus sumuntur e Psalterio, oratio autem e Proprio.

253. In faciendis commemorationibus, hæc animadvertantur:

- a)* in eadem Hora nunquam bis repetatur eadem antiphona;
- b)* in eadem commemoratione antiphona et versus nunquam constant iisdem verbis.

254. Si in Laudibus una tantum faciendæ est commemoratio, et antiphona ac versus sumenda sunt ex eodem Communi unde sumpta sunt in Officio diei, pro commemoratione sumuntur antiphona ac versus e I Vesperis.

255. Si in Laudibus duæ faciendæ sunt commemorationes, et antiphona ac versus sumenda sunt ex eodem Communi:

- a)* pro prima commemoratione, sumuntur antiphona et versus e Laudibus;
- b)* pro altera, antiphona et versus e I Vesperis.

256. Si in Laudibus duæ faciendæ sunt commemorationes, et antiphona ac versus sumenda sunt ex eodem Communi unde sumpta sunt in Officio diei:

- a)* pro prima commemoratione, sumuntur antiphona et versus e I Vesperis;
- b)* pro altera, antiphona et versus e II Vesperis.

257. Ad ea quæ **nn. 253-256** habentur, animadvertatur:

- a)* si antiphona eadem sit in I et II Vesperis, pro altera commemoratione sumitur antiphona e Laudibus, vel demum prima antiphona tertii Nocturni;
- b)* textus antiphonæ adhiberi potest, in eadem Hora, tamquam versus pro altera commemoratione, sumenda ex eodem

Communi;

c) antiphona **Euge, serve bone**, quæ ponitur ad Laudes de Communi Confessoris Pontificis, censetur identica cum simili antiphona, quæ habetur ad Laudes de Communi Confessoris non Pontificis.

258. Item, si eadem sit oratio festi de quo fit Officium et eius de quo fit commemoratio, oratio pro commemoratione mutatur in alteram de eodem vel simili Communi.

259. Antiphonæ et versus propria, si in una Hora pro commemoratione adhiberi nequeunt, non transferuntur, sed omittuntur.

S – De precibus

260. Preces dicuntur tantum in Officiis de Tempore, et quidem:

a) in Laudibus et Vesperis feriæ IV et VI temporis Adventus, Quadragesimæ et Passionis;

b) in Laudibus et Vesperis feriæ IV et VI Quatuor Temporum mensis septembris;

c) in Laudibus sabbatorum Quatuor Temporum, excepto sabbato infra octavam Pentecostes.

CAPUT VI
DE RATIONE SIGNO CRUCIS
SE MUNIENDI, STANDI,
GENUFLECTENDI ET SEDENDI IN
RECITATIONE DIVINI OFFICII

261. Quæ hic dicuntur de signo crucis et de corporis situ in recitatione divini Officii, valent pro recitatione *in choro* vel *in communi*; convenit vero ut hi qui *a solo* divinum Officium recitant, iis quæ de signo crucis dicuntur se conforment.

262. Normæ peculiare quæ ad hebdomadarium et cantores spectant, in cæremoniarum libris inveniuntur; proinde hic ea tantum indicantur quæ «chorales» in genere respiciunt.

263. Omnes signant se signo crucis a fronte ad pectus et ab humero sinistro ad dexterum:

a) in principio omnium Horarum, cum dicitur **Deus, in adiutórium;**

b) ad versum **Adiutórium nostrum;**

c) ad absolutionem **Indulgéntiam** post **Confíteor** in Completorio;

d) in principio canticorum **Benedíctus, Magníficat** et **Nunc dimíttis;**

e) ad benedictionem in fine Primæ et Completorii;

f) ad versum **Divínium auxiliúm,** in fine divini Officii.

264. Signo crucis os sibi signant in principio Matutini, ad verba **Dómine, lábia mea apéries.**

265. Signo crucis pectus sibi signant ad verba **Convérte nos** in Completorio.

266. Omnes stant:

a) in principio cuiusque Horæ, donec primus versus primi psalmi inchoatus sit;

b) dum dicuntur hymni, et cantica evangelica;

c) *ad Matutinum* etiam ad invitatorium cum suo psalmo et ab expleta ultima antiphona cuiusque Nocturni usque ad primam benedictionem ante lectiones inclusive; et dum legitur textus Evangelii ante homiliam;

d) *ad Laudes et Vesperas* etiam ab expleta antiphona post ultimum psalmum usque ad finem, nisi genuflectendum sit ad preces aut ad orationem, iuxta rubricas;

e) *ad Primam*, ab expleta antiphona usque ad finem, præterquam ad lectionem Martyrologii, nisi genuflectendum sit ad orationes;

f) *ad Tertiam, Sextam et Nonam*, ab expleta antiphona usque ad finem, nisi genuflectendum sit ad orationem;

g) *ad Completorium*, ab expleta antiphona post psalmos usque ad finem, nisi genuflectendum sit ad orationem;

h) ad intonationem antiphonarum in Matutino, Laudibus et Vesperis cantatis, iuxta consuetudinem;

i) ad antiphonam finalem B. Mariæ Virg., post Completorium, sabbato et dominica, etiam si non fit Officium de dominica, et toto tempore paschali.

267. Omnes genua flectunt:

a) ad verba **Veníte, adorémus et procidámus**, etc. in psalmo **Veníte, exsultémus** in initio Matutini;

b) ad versum **Te ergo quæsumus** in hymno **Te Deum**;

c) ad preces, quando dicendæ sunt;

d) in Officio feriali Adventus, Quadragesimæ et Passionis necnon Quatuor Temporum mensis septembris, et de vigiliis II et III classis, excepta vigilia Ascensionis, in omnibus Horis ad orationem et commemorationes forsitan sequentes; hebdomadarius autem stat;

e) ad antiphonam finalem B. Mariæ Virg. post Completorium, præterquam sabbato et dominica et toto tempore paschali; hebdomadarius autem stat dum dicit orationem;

f) in quibusdam aliis peculiaribus adiunctis, quæ suis locis notantur.

268. Omnes sedent:

a) in omni Hora, incepto primo versu primi psalmi, donec antiphona ultimi psalmi repetita est;

b) ad lectiones cum suis responsoriis ad Matutinum, præterquam dum legitur textus Evangelii ante homiliam;

c) dum legitur Martyrologium, ad Primam, nisi aliter statuatur.





PARS GENERALIS

ORDINARIUM DIVINI OFFICII

1. Officium divinum, nisi aliter suo loco indicetur, per totum annum et ad omnes Horas, absolvitur iuxta formam, quæ in rubricis huius Ordinarii exhibetur.



AD MATUTINUM

2. Matutinum absolute incipitur versu



Dómine, lábia mea apéries.

R Et os meum annuntiábit laudem tuam.

V Deus, in adiutórium meum inténde.

R Dómine, ad adiuvándum me festína.

Glória Patri, et Fílio, et Spirítui Sancto. Sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in sácula sæculórum. Amen. Allelúia.

Sic dicitur Allelúia ad omnes Horas, per totum annum, præterquam a Completorio sabbati ante dominicam in Septuagesima usque ad Completorium feriæ IV Hebdomadæ sanctæ; tunc enim dicitur:
Laus tibi, Dómine, Rex ætérnæ glóriæ.

De invitatorio

3. Postea dicitur conveniens invitatorium, quod ante psalmum bis integrum recitatur, et ad singulos eiusdem psalmi versus vel integrum vel dimidiatum ab asterisco * alternis vicibus, ut infra, repetitur

Psalmus 94

Veníte, exultémus Dómino, iubilémus Deo, salutári nostro: præoccupémus fáciem eius in confessióne, et in psalmis iubilémus ei.

Repetitur integrum invitatorium.

Quóniam Deus magnus Dóminus, et Rex magnus super omnes deos: quóniam non repellet Dóminus plebem suam: quia in manu eius sunt omnes fines terræ, et altitúdines móntium ipse cónspicit.

Repetitur altera pars invitatorii.

¶ *In sequenti psalmi versu, ad verba veníte, adorémus, et procidámus ante Deum, genuflectitur.*

Quóniam ipsíus est mare, et ipse fecit illud, et áridam fundavérunt manus eius: VENÍTE, ADORÉMUS, ET PROCIDÁMUS ANTE DEUM: plorémus coram Dómino, qui fecit nos, quia ipse est Dóminus Deus noster; nos autem pópulus eius, et oves páscuæ eius.

Repetitur integrum invitatorium.

Hódie, si vocem eius audiéritis, nolíte obduráre corda vestra, sicut in exacerbatióne, secúndum diem tentatiónis in desérto: ubi tentavérunt me patres vestri, probavérunt et vidérunt ópera mea.

Repetitur altera pars invitatorii.

Quadragínta annis próximus fui generatióni huic, et dixi: Semper hi errant corde; ipsi vero non cognovérunt vias meas: quibus iurávi in ira mea: Si introíbunt in réquiem meam.

Repetitur integrum invitatorium.

Glória Patri, et Fílio, et Spirítui Sancto. Sicut erat in princípío, et nunc, et semper, et in sácula sæculórum. Amen.

Repetitur altera pars invitatorii.

Deinde repetitur integrum invitatorium.

De hymno

4. *Expleto psalmo cum invitatorio, dicitur hymnus invitatorio respondens, iuxta Officiorum diversitatem.*

De Nocturnis

5. Expleto hymno, dicuntur antiphonæ et psalmi unius vel trium Nocturnorum, iuxta diversitatem Officii. Antiphonæ dicuntur semper integræ ante et post psalmos et cantica, ad omnes Horas, tam maiores quam minores. Asteriscus * autem, qui post prima antiphonæ verba notatur, indicat eousque intonationem esse producendam.

IN OFFICIO NOVEM LECTIONUM

In I Nocturno

De antiphonis et psalmis

6. Sub congruentibus antiphonis dicuntur tres psalmi, ac deinde subiungitur versus, prouti Officium occurrens requirit.

Post versum dicitur clara voce: Pater noster, et prosequitur secreto qui es in cælis, sanctificetur nomen tuum. Advéniat regnum tuum. Fiat volúntas tua, sicut in cælo et in terra. Panem nostrum cotidiánum da nobis hódie. Et dimítte nobis débita nostra, sicut et nos dimíttimus debitóribus nostris, et absolvitur clara voce:

℣ Et ne nos indúcas in tentatiónem.

℟ Sed líbera nos a malo.

De absolute et benedictionibus

Absolutio

EXáudi, Dómine Iesu Christe, preces servórum tuórum, et miserére nobis: Qui cum Patre et Spíritu Sancto vivis et regnas in sácula sæculórum. **R.** Amen.

Benedictiones

V. Iube, domne, benedícere.

Hic versus dicitur ante quamlibet benedictionem.

¶ Extra chorum, quando ab uno tantum recitatur Officiu, ante singulas lectiones Matutini atque ad lectionem brevem Primæ et Completorii, dicitur: Iube, Dómine, benedícere; et subiungitur congruens benedictio. Ab Episcopo autem, ultimam Matutini lectionem cantaturo, item dicitur: Iube, Dómine, benedícere: et respondetur a choro: Amen.

Pro i lectione

Bened. Benedictione perpétua benedícat nos Pater ætérnus. **R.** Amen.

Pro ii lectione

Bened. Unigénitus Dei Fílius nos benedícere et adiuváre dignétur. **R.** Amen.

Pro iii lectione

Bened. Spíritus Sancti grátia illúminet sensus et corda nostra. **R.** Amen.

De lectionibus et responsoriis

In unoquoque Nocturno dicuntur lectiones, prouti Officium occurrens requirit; et in fine cuiuslibet lectionis additur:

℣ Tu autem, Dómine, miserére nobis.

℟ Deo grátias.

Post quamlibet vero lectionem, quæ hymnum Te Deum immediate non præcedat, congruens dicitur responsum, cuius in fine resumitur ultima pars eiusdem responsorii ab asterisco *. In fine ultimi responsorii cuiusque Nocturni additur insuper Glória Patri, et Fílio, et Spirítui Sancto, et responsum iterum resumitur ab asterisco; qui si duo fuerint, ante Glória Patri responsum repetitur a primo ad secundum asteriscum, post Glória Patri a secundo asterisco usque ad finem.

In II Nocturno

7. Sub congruentibus item antiphonis dicuntur tres psalmi et versus, sicut in I Nocturno.

Post versum dicitur:

Pater noster secreto usque ad ℣ Et ne nos indúcas in tentatióem.

℟ Sed líbera nos a malo.

Absolutio

Ipsius píetas et misericórdia nos ádiuvet, qui cum Patre et Spíritu Sancto vivit et regnat in sácula sæculórum. **R.** Amen.

Benedictiones

V. TUBE, domne, benedícere.

Pro iv lectione

Bened. Deus Pater omnípotens sit nobis propítius et clemens. **R.** Amen.

Pro v lectione

Bened. Christus perpétuæ det nobis gáudia vitæ. **R.** Amen.

Pro vi lectione

Bened. Ignem sui amóris accéndat Deus in córdibus nostris. **R.** Amen.

In III Nocturno

8. Sub congruentibus denique antiphonis dicuntur tres psalmi et versus, sicut in I et II Nocturno.

Post versum dicitur: Pater noster secreto usque ad

V. Et ne nos indúcas in tentatiónem.

R. Sed líbera nos a malo.

Absolutio

A vínculis peccatórum nostrórum absólvat nos
omnípotens et miséricors Dóminus.
℞ Amen.

Benedictiones

℣ Iube, domne, benedícere.

Pro vii lectione

Bened. Evangélica léctio sit nobis salus et protéctio.
℞ Amen.

Pro viii lectione

In festis Domini:

Bened. Divínium auxiliúm máneat semper nobíscum.
℞ Amen.

In festis B. Mariæ Virginis:

Bened. Cuius festum cólimus, ipsa Virgo vírginum
intercédat pro nobis ad Dóminum. ℞ Amen.

In festis Sanctorum:

Bened. Cuius (vel quorum aut quarum) festum cólimus,
ipse (vel ipsa aut ipsi vel ipsæ) intercédant (vel intercédant)
pro nobis ad Dóminum. ℞ Amen.

Pro ix lectione

Bened. Ad societátem cívium supernórum perdúcat nos
Rex Angelórum. ℞ Amen.

IN OFFICIO TRIUM LECTIONUM

De antiphonis et psalmis

9. Sub congruentibus antiphonis dicuntur novem psalmi, ac deinde subiungitur versus, prouti Officium occurrens requirit.

Post versum dicitur: Pater noster secreto usque ad
V. Et ne nos indúcas in tentatióem.

R. Sed líbera nos a malo.

De absolutionibus et benedictionibus

Absolutio

Dominica, feria II et V

EXáudi, Dómine Iesu Christe, preces servórum tuórum, et miserére nobis: Qui cum Patre et Spíritu Sancto vivis et regnas in sácula sæculórum.

R. Amen.

Feria III et VI

IPsíus píetas et misericórdia nos ádiuвет, qui cum Patre et Spíritu Sancto vivit et regnat in sácula sæculórum. R. Amen.

Feria IV et sabbato

A vínculis peccatórum nostrórum absólvat nos
omnípotens et miséricors Dóminus.
R̄ Amen.

Benedictiones

V̄. Iube, domne, benedícere.

¶ In dominica:

1 Bened. Ille nos benedícat, qui sine fine vivit et regnat.
R̄ Amen.

2 Bened. Divínium auxiliúm máneat semper nobíscum.
R̄ Amen.

3 Bened. Per evangélica dicta deleántur nostra delícta.
R̄ Amen.

¶ Diebus, quibus legitur homilia in evangelium diei:

1 Bened. Evangélica léctio sit nobis salus et protéctio.
R̄ Amen.

2 Bened. Divínium auxiliúm máneat semper nobíscum.
R̄ Amen.

3 Bened. Ad societátem cívium supernórum perdúcat nos
Rex Angelórum. R̄ Amen.

¶ In feriis, quando leguntur lectiones de Scriptura
occurrenti:

- feria II et V, benedictiones ut supra in I Nocturno;
- feria III et VI, ut in II Nocturno;
- feria IV et sabbato:

1 **Bened.** Ille nos benedícat, qui sine fine vivit et regnat.
R Amen.

2 **Bened.** Divínium auxiliúm máneat semper nobíscum.
R Amen.

3 **Bened.** Ad societátem cívium supernórum perdúcat nos
Rex Angelórum. R Amen.

¶ In festis Domini:

1 **Bened.** Ille nos benedícat, qui sine fine vivit et regnat.
R Amen.

2 **Bened.** Divínium auxiliúm máneat semper nobíscum.
R Amen.

3 **Bened.** Ad societátem cívium supernórum perdúcat nos
Rex Angelórum. R Amen.

¶ In festis B. Mariæ Virg.:

1 **Bened.** Ille nos benedícat, qui sine fine vivit et regnat.
R Amen.

2 **Bened.** Cuius festum cólimus, ipsa Virgo vírginum
intercedat pro nobis ad Dóminum. R Amen.

3 **Bened.** Ad societátem cívium supernórum perdúcat nos
Rex Angelórum. **R.**Amen.

¶ **In festis Sanctorum:**

1 **Bened.** Ille nos benedícat, qui sine fine vivit et regnat.
R.Amen.

2 **Bened.** Cuius (**vel** quorum **aut** quarum) festum cólimus,
ipse (**vel** ipsa **aut** ipsi **vel** ipsæ) intercédát (**vel** intercédant)
pro nobis ad Dóminum. **R.**Amen.

3 **Bened.** Ad societátem cívium supernórum perdúcat nos
Rex Angelórum. **R.**Amen.

In Officio de sancta Maria in sabbato, absolutio et
benedictiones proprio loco ponuntur. Deinde leguntur
lectiones cum responsoriis, prouti Officium occurrens
requirit.

De hymno Te Deum

10. Post ultimam lectionem, dicitur hymnus Te Deum,
iuxta rubricas (n. 237). Quando vero hymnus prædictus
omittitur (n. 238), eius loco dicitur nonum vel tertium
responsorium.

Hymnus Ambrosianus

TE Deum laudamus: * te Dóminum confitémur.
Te ætérnum Patrem * omnis terra venerátur.
Tibi omnes Angeli, * tibi Cæli et univérsæ Potestátes:
Tibi Chérubim et Séraphim * incessábili voce proclámant:
Sanctus,
Sanctus,
Sanctus * Dóminus, Deus Sábaoth.
Pleni sunt cæli et terra * maiestátis glóriæ tuæ.
Te gloriósus * Apostolórum chorus,
Te Prophetárum * laudábilis númerus,
Te Mártyrum candidátus * laudat exércitus.
Te per orbem terrárum * sancta confitétur Ecclésia,
Patrem * imménsæ maiestátis;
Venerándum tuum verum * et únicum Fílium;
Sanctum quoque * Paráclitum Spíritum.
Tu Rex glóriæ, * Christe.
Tu Patris * sempitérnus es Fílius.
Tu, ad liberándum susceptúrus hómínem, * non horruísti
Víriginis úterum.
Tu, devícto mortis acúleo, * aperuísti credéntibus regna
cælórum.
Tu ad dexteram Dei sedes, * in glória Patris.
Iudex créderis * esse ventúrus.

¶ Sequens versus dicitur flexis genibus.

Te ergo quæsumus, tuis fámulis súbveni, * quos pretiósó sáanguine redemísti.

ÆtéRNA fac cum Sanctis tuis * in glória numerári.

Salvum fac pópulum tuum, Dómine, * et bédedic hereditáti tuæ.

Et rege eos, * et extólle illos usque in ætérum.

Per síngulos dies * benedícimus te.

Et laudámus nomen tuum in sáeculum, * et in sáeculum sáeculi.

Dignáre, Dómine, die isto * sine peccáto nos custodíre.

Miserére nostri, Dómine, * miserére nostri.

Fiat misericórdia tua, Dómine, super nos, * quemádmódu sperávimus in te.

In te, Dómine, sperávi: * non confúndar in ætérum.

De conclusione Matutini

11. Dicto Te Deum aut ultimo responsorio, quando Matutinum a Laudibus separatur, dicitur:

¶ Dóminus vobíscum.

¶ Et cum spírítu tuo.

Hic versus Dóminus vobíscum non dicitur in recitatione divini Officii *a solo*, neque ab iis qui in ordine diaconatus non sunt constituti; sed eius loco dicitur, etiam ad alias Horas, nisi iam præcedat:

¶ Dómine, exáudi oratióem meam.

¶ Et clamor meus ad te véniat.

Orémus.

Et dicitur oratio ut ad Laudes.

Post orationem additur:

℣ Dóminus vobíscum.

℟ Et cum spírítu tuo.

Vel:

℣ Dómine, exáudi oratióem meam.

℟ Et clamor meus ad te véniat.

℣ Benedicámus Dómino.

℟ Deo grátias.

℣ Fidélium ánimæ per misericórdiam Dei requiéscant in pace.

℟ Amen.

Et ita absolvitur Matutinum.



AD LAUDES

12. *Laudes absolute incipiuntur versu*

D

Eus, in adiutórium.

Glória Patri. Allelúia *vel* Laus tibi, Dómine.

De antiphonis et psalmis

13. Deinde sub congruentibus antiphonis dicuntur psalmi et canticum, prouti Officium occurrens requirit.

De capitulo, hymno et versu

14. Repetita antiphona post ultimum psalmum, dicitur capitulum, hymnus et versus, prouti Officium occurrens requirit. In fine omnium capitulorum respondetur: Deo grátias.

De cantico Benedíctus

15. Recitato versu, dicitur cum antiphona convenienti sequens

Canticum Zachariæ

Luc. 1, 68-79

Benedíctus Dóminus, Deus Israël: * quia visitávit, et fecit redemptiónem plebis suæ:
Et eréxit cornu salutis nobis: * in domo David, púeri sui.

Sicut locútus est per os sanctórum, * qui a sáculo sunt,
Prophetárum eius:

Salútem ex inimícis nostris, * et de manu ómnium, qui odérunt nos:

Ad faciéndam misericórdiam cum pátribus nostris: * et memorári testaménti sui sancti.

Iusiurándum, quod iurávit ad Abraham patrem nostrum, * datúrum se nobis:

Ut sine timóre, de manu inimicórum nostrórum liberáti, * serviámus illi.

In sanctitáte, et iustítia coram ipso, * ómnibus diébus nostris.

Et tu, puer, Prophéta Altíssimi vocáberis: * præíbis enim ante fáciem Dómini paráre vias eius:

Ad dandam sciéntiam salutis plebi eius: * in remissionem peccatórum eórum:

Per viscera misericordiæ Dei nostri: * in quibus visitávit nos, óriens
ex alto:

Illumináre his, qui in ténebris, et in umbra mortis sedent: * ad
dirigéndos pedes nostros in viam pacis.

Glória Patri, et Fílio, * et Spirítui Sancto.

Sicut erat in princípio, et nunc, et semper, * et in sæcula
sæculórum. Amen.

De precibus

16. Quando, iuxta rubricas (n. 260), preces sunt dicendæ, post
repetitam antiphonam ad Benedictus, dicitur, flexis genibus:

Kýrie, eléison.
Christe, eléison.
Kýrie, eléison.

Pater noster, quod dicitur a solo hebdomadario totum clara voce,
usque ad

V Et ne nos indúcas in tentatiónem.

R Sed líbera nos a malo.

V Ego dixi: Dómine, miserére mei.

R Sana ánimam meam quia peccávi tibi.

V Convértere, Dómine, úsquequo?

R Et deprecábilis esto super servos tuos.

V Fiat misericórdia tua, Dómine, super nos.

R Quemádmódum sperávimus in te.

V Sacerdótes tui induántur iustítiam.

R Et sancti tui exsúltent.

℣ Orémus pro beatíssimo Papa nostro N.

℟ Dóminus consérvet eum, et vivíficet eum, et beátum fáciat eum in terra, et non tradat eum in ánimam inimicórum eius.

℣ Orémus et pro Antístite nostro N.

℟ Stet et pascat in fortitúdine tua, Dómine, in sublimitáte nóminis tui.

¶ Romæ præcedens versus cum suo responsorio omittitur; alibi vero, ad litteram N., ab omnibus nomen diæcesani Episcopi exprimatur. Vacante Apostolica vel episcopali Sede, alteruter vel uterque respectivus versus cum suo responsorio præteritur.

℣ Dómine, salvum fac regem.

℟ Et exáudi nos in die, qua invocavérimus te.

℣ Salvum fac pópulum tuum, Dómine, et bénedic hereditáti tuæ.

℟ Et rege eos, et extólle illos usque in ætérnum.

℣ Meménto congregatiónis tuæ.

℟ Quam possedísti ab inítio.

℣ Fiat pax in virtúte tua.

℟ Et abundántia in túrribus tuis.

℣ Orémus pro benefactóribus nostris.

℟ Retribúere dignáre, Dómine, ómnibus, nobis bona faciéntibus propter nomen tuum, vitam ætérnam. Amen.

℣ Orémus pro fidélibus defúntis.

℞ Réquiem ætérrnam dona eis, Dómine, et lux perpétua lúceat eis.

℣ Requiéscant in pace.

℞ Amen.

℣ Pro frátribus nostris abséntibus.

℞ Salvos fac servos tuos, Deus meus, sperántes in te.

℣ Pro afflíctis et captívis.

℞ Líbera eos, Deus Israëł, ex ómnibus tribulatióribus suis.

℣ Mitte eis, Dómine, auxiliúm de sancto.

℞ Et de Sion tuére eos.

℣ Dómine, Deus virtútum, convérte nos.

℞ Et osténde fáciem tuam, et salvi érimus.

℣ Exsúrge, Christe, ádiuva nos.

℞ Et líbera nos propter nomen tuum.

℣ Dómine, exáudi oratióem meam.

℞ Et clamor meus ad te véniat.

De oratione

17. Expleto cantico ac repetita antiphona, si preces non fuerint recitandæ, statim dicitur:

℣ Dóminus vobíscum.

℞ Et cum spírítu tuo.

Vel, nisi iam dictum fuerit in precibus:

℣ Dómine, exáudi oratióem meam.

℟ Et clamor meus ad te véniat.

Orémus.

Et dicitur oratio conveniens.

Postea fiunt commemorationes, si occurrunt.

De conclusione Laudum

18. Post ultimam orationem additur:

℣ Dóminus vobíscum.

℟ Et cum spírítu tuo.

Vel:

℣ Dómine, exáudi oratióem meam.

℟ Et clamor meus ad te véniat.

℣ Benedicámus Dómino.

℟ Deo grátias.

℣ Fidélium ánimæ per misericórdiam Dei requiéscant in pace.

℟ Amen.

Et ita absolvuntur Laudes.



AD PRIMAM

19. *Prima absolute incipitur versu*

DEus, in adiutórium.

Glória Patri. Allelúia *vel* Laus tibi, Dómine.

20. *De hymno*

Hymnus

IAm lucis orto sídere,
Deum precémur súplices,
Ut in diúrnis áctibus
Nos servet a nocéntibus.

Linguam refrénans téperet,
Ne litis horror ínsonet:
Visum fovéndo cóntegat,
Ne vanitátes háuriat.

Sint pura cordis íntima,
Absístat et vecórdia;
Carnis terat supérbiam
Potus cibíque párcitas.

Ut, cum dies abscésserit,
Noctémque sors redúxerit,
Mundi per abstinéntiam
Ipsi canámus glóriam.

Deo Patri sit glória,
Eiúsque soli Fílio,
Cum Spíritu Paráclito,
Nunc et per omne sáeculum.

Amen.

De antiphona et psalmis

21. Expleto hymno, conveniens dicitur antiphona, prouti Officium occurrens requirit; et sub unica antiphona dicuntur tres psalmi.

De capitulo et responsorio brevi

22. Repetita post ultimum psalmum antiphona, semper dicitur sequens

Capitulum

1 Tim. 1, 17

REgi sæculórum immortáli et invisíbili, soli Deo
honor et glória in sácula sæculórum. Amen.
RX Deo grátias.

23. Deinde subiungitur responsorium breve, ut sequitur.

Versus tamen Qui sedes ad dexteram Patris mutatur in iis
Officiis et anni temporibus, pro quibus proprius assignatur.

R̄.br. Christe, Fili Dei vivi, * miserere nobis.

Et repetitur: Christe, Fili Dei vivi, miserere nobis.

V. Qui sedes ad dexteram Patris.

R̄. Miserere nobis.

V. Glória Patri, et Filio, et Spirítui Sancto.

R̄. Christe, Fili Dei vivi, miserere nobis.

V. Exsúrge, Christe, ádiuva nos.

R̄. Et líbera nos propter nomen tuum.

Tempore Passionis, in Officio dominicali et feriali,
omittitur in responsorio brevi Glória Patri, et huius loco
repetitur responsorium, ut sequitur:

R̄.br. Christe, Fili Dei vivi, * miserere nobis.

Et repetitur: Christe, Fili Dei vivi, miserere nobis.

V. Qui sedes ad dexteram Patris.

R̄. Miserere nobis.

V. Christe, Fili Dei vivi.

R̄. Miserere nobis.

℣ Exsúrge, Christe, ádiuva nos.

℟ Et líbera nos propter nomen tuum.

Tempore paschali dicitur sequens

℣ br. Christe, Fili Dei vivi, miserére nobis, * allelúia, allelúia. Et repetitur: Christe, Fili Dei vivi, miserére nobis, allelúia, allelúia.

℣ Qui surrexísti a mórtuis.

℟ Allelúia, allelúia.

℣ Glória Patri, et Fílio, et Spirítui Sancto.

℟ Christe, Fili Dei vivi, miserére nobis, allelúia, allelúia.

℣ Exsúrge, Christe, ádiuva nos, allelúia.

℟ Et líbera nos propter nomen tuum, allelúia.

¶ Hoc modo dicuntur semper responsoria brevia, etiam ad Tertiam, Sextam, Nonam et Completorium.

De oratione

24. Post responsorium breve cum suo versu statim dicitur:

℣ Dóminus vobíscum.

℟ Et cum spírítu tuo.

Vel:

℣ Dómine, exáudi oratióem meam.

℟ Et clamor meus ad te véniat.

Orémus.

Oratio.

DÓmine Deus omnipotens, qui ad princípium huius diéi nos pervenire fecísti: tua nos hódie salva virtúte; ut in hac die ad nullum declinémus peccátum, sed semper ad tuam iustítiam faciéndam nostra procédant elóquia, dirigántur cogitatiónes et ópera. Per Dóminum. ℟ Amen.

Ac deinde subiungitur:

℣ Dóminus vobíscum.

℟ Et cum spírítu tuo.

Vel:

℣ Dómine, exáudi oratióem meam.

℟ Et clamor meus ad te véniat.

℣ Benedicámus Dómino.

℟ Deo grátias.

De lectione Martyrologii

25. Deinde, in choro, legitur Martyrologium, quod convenienter fit etiam extra chorum.


Postea hebdomadarius dicit:

¶ Pretiósá in conspéctu Dómini.

℞ Mors Sanctórum eius.

Et absolute, sine Orémus:

Oratio.

 Sancta Mariá et omnes Sancti intercédant pro nobis ad Dóminum, ut nos mereámur ab eo adiuvári et salvári, qui vivit et regnat in sácula sæculórum. ℞ Amen.

De Officio Capituli

26. Expleta lectione Martyrologii cum versu et oratione subsequenti, Prima sic prosequitur:

¶ Deus, in adiutórium meum inténde.

℞ Dómine, ad adiuvándum me festína.

Et dicitur ter; ultimo additur:

Glória Patri, et Fílio, et Spirítui Sancto. Sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in sácula sæculórum. Amen.

Kýrie, eléison. Christe, eléison. Kýrie, eléison.

Pater noster secreto usque ad ¶ Et ne nos indúcas in tentatiónem.

℞ Sed líbera nos a malo.

℣ Réspice in servos tuos, Dómine, et in ópera tua, et dirige filios eórum.

℞ Et sit splendor Dómini Dei nostri super nos, et ópera mánuum nostrárum dirige super nos, et opus mánuum nostrárum dirige.

℣ Glória Patri, et Fílio, et Spirítui Sancto.

℞ Sicut erat in princípío, et nunc, et semper, et in sácula sæculórum. Amen.

Orémus.

Oratio.

Dirigere et sanctificáre, régere et gubernáre dignáre, Dómine Deus, Rex cæli et terræ, hódie corda et córpora nostra, sensus, sermónes et actus nostros in lege tua, et in opéribus mandatórum tuórum: ut hic et in ætérnum, te auxiliánte, salvi et líberi esse mereámur, Salvátor mundi: Qui vivis et regnas in sácula sæculórum.
℞ Amen.

De lectione brevi

27. Deinde dicitur Lectio brevis, ad absolutionem Capituli, iuxta diversitatem temporum.

Præmittitur:

℣ Iube, domne (Dómine), benedícere.

Bened. Dies et actus nostros in sua pace dispónat Dóminus
omnípotens. **R̄**Amen.

Et in fine dicitur:

V̄Tu autem, Dómine, miserére nobis.

R̄Deo grátias.

De conclusione Primæ

28. **Ac deinde subditur:**

V̄Adiutórium nostrum in nómine Dómini.

R̄Qui fecit cælum et terram.

V̄Benedícite.

R̄Deus.

Bened. Dóminus nos benedícat, et ab omni malo deféndat,
et ad vitam perdúcat ætérnam. Et fidélium ánimæ per
misericórdiam Dei requiéscent in pace.

R̄Amen.

Et ita absolvitur Prima.

AD TERTIAM

29. *Tertia absolute incipitur versu*

DEus, in adiutórium.
Glória Patri. Allelúia *vel* Laus tibi, Dómine.

30. *De hymno*

Hymnus

Dunc, Sancte, nobis, Spíritus,
Unum Patri cum Fílio,
Dignáre promptus íngeri
Nostro refúsus péctori.

Os, lingua, mens, sensus, vigor
Confessionem pèrsonent,
Flamméscat igne cáritas,
Accéndat ardor próximos.

Præsta, Pater piússime,
Patrique compar Unice,
Cum Spíritu Paráclito
Regnans per omne sáeculum.

Amen.

¶ In festo Pentecostes et per octavam, loco præcedentis, dicitur hymnus Veni, Créator Spíritus, ut in Proprio de Tempore.

De antiphona et psalmis

31. Expleto hymno, conveniens dicitur antiphona, prouti Officium occurrens requirit; et sub unica antiphona dicuntur tres psalmi.

De capitulo et responsorio brevi

32. Repetita post ultimum psalmum antiphona, subditur capitulum et responsorium breve, prouti Officium occurrens requirit.

De oratione

33. Expleto responsorio brevi, statim dicitur:

¶ Dóminus vobíscum.

¶ Et cum spírítu tuo.

Vel:

¶ Dómine, exáudi oratióem meam.

¶ Et clamor meus ad te véniat.

Orémus.

Et dicitur oratio, quæ dicta est in Laudibus.

De conclusione Tertiæ

34. *Post orationem additur:*

V. Dóminus vobíscum.

R. Et cum spírítu tuo.

Vel:

V. Dómine, exáudi oratióem meam.

R. Et clamor meus ad te véniat.

V. Benedicámus Dómino.

R. Deo grátias.

V. Fidélium ánimæ per misericórdiam Dei requiéscant in pace.

R. Amen.

Et ita absolvitur Tertiæ.



AD SEXTAM

35. *Sexta absolute incipitur versu*

DEus, in adiutórium.
Glória Patri. Allelúia *vel* Laus tibi, Dómine.

36. *De hymno*

Hymnus

REctor potens, verax Deus,
Qui tēperas rerum vices,
Splendóre mane illúminas,
Et ígnibus merídiem:

Exstíngue flammás lítium,
Aufer calórem nóxium,
Confer salútem córporum,
Verámque pacem córdium.

Præsta, Pater piíssime,
Patrique compar Unice,
Cum Spírítu Paráclito
Regnans per omne sáeculum.

Amen.

De antiphona et psalmis

37. Expleto hymno, conveniens dicitur antiphona, prouti Officium occurrens requirit; et sub unica antiphona dicuntur tres psalmi.

De capitulo et responsorio brevi

38. Repetita post ultimum psalmum antiphona, subditur capitulum et responsorium breve, prouti Officium occurrens requirit.

De oratione

39. Expleto responsorio brevi, statim dicitur:

℣. Dóminus vobíscum.

℟. Et cum spírítu tuo.

Vel:

℣. Dómine, exáudi oratióem meam.

℟. Et clamor meus ad te véniat.

Orémus.

Et dicitur oratio, quæ dicta est in Laudibus.

De conclusione Sextæ

40. **Post orationem additur:**

V. Dóminus vobíscum.

R. Et cum spírítu tuo.

Vel:

V. Dómine, exáudi oratióem meam.

R. Et clamor meus ad te véniat.

V. Benedicámus Dómino.

R. Deo grátias.

V. Fidélium ánimæ per misericórdiam Dei requiéscant in pace.

R. Amen.

Et ita absolvitur Sexta.



AD NONAM

41. *Nona absolute incipitur versu*

DEus, in adiutórium.
Glória Patri. Allelúia *vel* Laus tibi, Dómine.

42. *De hymno*

Hymnus

Rerum, Deus, tenax vigor,
Immótus in te pérmanens,
Lucis diúrnæ témpora
Succéssibus detérminans:

Largíre lumen véspere,
Quo vita nusquam décidat,
Sed práemium mortis sacrae
Perénnis instet glória.

Præsta, Pater píssime,
Patríque compar Unice,
Cum Spírítu Paráclito
Regnans per omne sáeculum.

Amen.

De antiphona et psalmis

43. Expleto hymno, conveniens dicitur antiphona, prouti Officium occurrens requirit; et sub unica antiphona dicuntur tres psalmi.

De capitulo et responsorio brevi

44. Repetita post ultimum psalmum antiphona, subditur capitulum et responsorium breve, prouti Officium occurrens requirit.

De oratione

45. Expleto responsorio brevi, statim dicitur:

℣. Dóminus vobíscum.

℟. Et cum spírítu tuo.

Vel:

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.

℟. Et clamor meus ad te véniat.

Orémus.

Et dicitur oratio, quæ dicta est in Laudibus.

De conclusione Nonæ

46. *Post orationem additur:*

V. Dóminus vobíscum.

R. Et cum spírítu tuo.

Vel:

V. Dómine, exáudi oratióem meam.

R. Et clamor meus ad te véniat.

V. Benedicámus Dómino.

R. Deo grátias.

V. Fidélium ánimæ per misericórdiam Dei requiéscant in pace.

R. Amen.

Et ita absolvitur Nona.



AD VESPERAS

47. *Vesperæ absolute incipiuntur versu*



Eus, in adiutórium.

Glória Patri. Allelúia *vel* Laus tibi, Dómine.

De antiphonis et psalmis

48. *Deinde sub congruentibus antiphonis dicuntur psalmi et canticum, prouti Officium occurens requirit.*

De capitulo, hymno et versu

49. *Repetita antiphona post ultimum psalmum, dicitur capitulum, hymnus et versus, prouti Officium occurrens requirit.*

De cantico Magnificat

50. Recitato versu, dicitur cum antiphona convenienti sequens

Canticum B. Mariæ Virginis

Luc. 1, 46-55



Magnificat * ánima mea Dóminum:
Et exultávit spíritus meus * in Deo, salutári meo. Quia respéxit humilitátem ancillæ suæ: * ecce enim ex hoc beátam me dicent omnes generatiónes. Quia fecit mihi magna qui potens est: * et sanctum nomen eius. Et misericórdia eius a progénie in progénies * tíméntibus eum. Fecit poténtiam in brácchio suo: * dispérsit supérbos mente cordis sui. Depósuit poténtes de sede, * et exaltávit húmiles. Esuriéntes implévit bonis: * et dívites dimísit inánes. Suscépit Israël púerum suum, * recordátus misericórdiæ suæ. Sicut locútus est ad patres nostros, * Abraham, et sémini eius in sácula.

Glória Patri.

De precibus

51. Quando, iuxta rubricas (n. 260), preces sunt dicendæ, post repetitam antiphonam ad Magnificat, dicitur, flexis genibus:

Kýrie, eléison.
Christe, eléison.
Kýrie, eléison.

Pater noster, quod dicitur a solo hebdomadario totum clara voce, usque ad **V**Et ne nos indúcas in tentatiónem.

RSed líbera nos a malo.

VEgo dixi: Dómine, miserére mei.

RSana ánimam meam quia peccávi tibi.

VConvértere, Dómine, úsquequo?

REt deprecábilis esto super servos tuos.

VFiat misericórdia tua, Dómine, super nos.

RQuemámodum sperávimus in te.

VSacerdótes tui induántur iustítiam.

REt sancti tui exsúltent.

℣ Orémus pro beatíssimo Papa nostro N.

℟ Dóminus consérvet eum, et vivíficet eum, et beátum fáciat eum in terra, et non tradat eum in ánimam inimicórum eius.

℣ Orémus et pro Antístite nostro N.

℟ Stet et pascat in fortitúde tua, Dómine, in sublimitáte nóminis tui.

¶ *Romæ præcedens versus cum suo responsorio omittitur; alibi vero, ad litteram N., ab omnibus nomen diæcesani Episcopi exprimatur. Vacante Apostolica vel episcopali Sede, alteruter vel uterque respectivus versus cum suo responsorio præteritur.*

℣ Dómine, salvum fac regem.

℟ Et exáudi nos in die, qua invocavérimus te.

℣ Salvum fac pópulum tuum, Dómine, et bénedic hereditáti tuæ.

℟ Et rege eos, et extólle illos usque in ætérnum.

℣ Meménto congregatiónis tuæ.

℟ Quam possedísti ab inítio.

℣ Fiat pax in virtúte tua.

℟ Et abundántia in túrribus tuis.

℣ Orémus pro benefactoribus nostris.

℞ Retribuere dignare, Dómine, ómnibus, nobis bona faciéntibus propter nomen tuum, vitam ætérnam. Amen.

℣ Orémus pro fidélibus defúntis.

℞ Réquiem ætérnam dona eis, Dómine, et lux perpétua lúceat eis.

℣ Requiéscant in pace.

℞ Amen.

℣ Pro frátribus nostris abséntibus.

℞ Salvos fac servos tuos, Deus meus, sperántes in te.

℣ Pro afflíctis et captívis.

℞ Líbera eos, Deus Israël, ex ómnibus tribulatió nibus suis.

℣ Mitte eis, Dómine, auxílium de sancto.

℞ Et de Sion tuére eos.

℣ Dómine, Deus virtútum, convérte nos.

℞ Et osténde fáciem tuam, et salvi érimus.

℣ Exsúrge, Christe, ádiuva nos.

℞ Et líbera nos propter nomen tuum.

℣ Dómine, exáudi oratió nem meam.

℞ Et clamor meus ad te véniat.

De oratione

52. Expleto cantico ac repetita antiphona, si preces non fuerint recitandæ, statim dicitur:

℣. Dóminus vobíscum.

℟. Et cum spírítu tuo.

Vel, nisi iam dictum fuerit in precibus:

℣. Dómine, exáudi oratióem meam.

℟. Et clamor meus ad te véniat.

Orémus.

Et dicitur oratio conveniens.

Postea fiunt commemoraciones, si occurrunt.

De conclusione Vesperarum

53. Post ultimam orationem additur:

℣. Dóminus vobíscum.

℟. Et cum spírítu tuo.

Vel:

℣. Dómine, exáudi oratióem meam.

℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Benedicámus Dómino.

℟. Deo grátias.

℣. Fidélium ánimæ per misericórdiam Dei requiéscant in
pace.

℟. Amen.

Et ita absolvuntur *Vesperæ*.



AD COMPLETORIUM

De lectione brevi

54. **Lector absolute incipit:**

VIube, domne (Dómine), benedícere.
Bened. Noctem quiétam et finem perféctum concédatur
nobis Dóminus omnípotens. **R** Amen.

Lectio brevis

1 Petri 5, 8-9

Fratres: Sóbrii estóte, et vigiláte: quia adversárius
vester diábolus tamquam leo rúgiens círcuit,
quærens quem dévoret: cui resístite fortes in fide.
Tu autem, Dómine, miserére nobis.

R Deo grátias.

De examine conscientiae et confessione

55. **Deinde dicitur:**

V Adiutórium nostrum in nómine Dómini.
R Qui fecit cælum et terram.

Pater noster, **quod dicitur totum secreto.**

56. Cum Completorium dicitur tamquam ultima precatio in fine diei, Pater noster hoc loco dicendum omittitur, et eius loco, *in choro et in communi*, fit examen conscientiae per rationabile tempus protractum: quod convenienter servatur etiam in recitatione *a solo*.

57. Post Pater noster, vel post examen conscientiae, hebdomadarius facit confessionem:

Confiteor Deo omnipotenti, beatae Mariae semper Virgini, beato Michaeli Archangelo, beato Ioanni Baptistae, sanctis Apostolis Petro et Paulo, omnibus Sanctis, et vobis, fratres, quia peccavi nimis cogitatione, verbo et opere: mea culpa, mea culpa, mea maxima culpa. Ideo precor beatam Mariam semper Virginem, beatum Michaelem Archangelum, beatum Ioannem Baptistam, sanctos Apostolos Petrum et Paulum, omnes Sanctos, et vos, fratres, orare pro me ad Dominum Deum nostrum.

Chorus respondet:

Misereatur tui omnipotens Deus, et, dimissis peccatis tuis, perducat te ad vitam aeternam.
R Amen.

Deinde repetit confessionem, et ubi dicitur: vobis, fratres, et vos, fratres, dicat: tibi, pater, et te, pater. Facta confessione a choro, hebdomadarius dicit:

Misereatur vestri omnipotens Deus, et, dimissis peccatis vestris, perducat vos ad vitam æternam.

R. Amen.

Indulgentiam, absolutiõnem et remissionem peccatorum nostrorum tribuat nobis omnipotens et misericors Dõminus. **R.** Amen.

58. In recitatione *a solo*, et quando non præest sacerdos, semel tantum ac simul ab omnibus ita fit confessio:

Confiteor Deo omnipotenti, beatae Mariæ semper Virgini, beato Michaëli Archangelo, beato Ioanni Baptistæ, sanctis Apóstolis Petro et Paulo, et omnibus Sanctis, quia peccavi nimis cogitatione, verbo et opere: mea culpa, mea culpa, mea máxima culpa. Ideo precor beatam Mariam semper Virginem, beatum Michaëlem Archangelum, beatum Ioannem Baptistam, sanctos Apóstolos Petrum et Paulum, et omnes Sanctos, orare pro me ad Dõminum Deum nostrum.

Deinde dicitur:

Misereatur nostri omnipotens Deus, et, dimissis peccatis nostris, perducat nos ad vitam æternam. Amen.

Indulgéntiam, absolutiónem et remissionem peccatórum nostrórum tríbuat nobis omnípotens et miséricors Dóminus. Amen.

59. *Expleta confessione et absoluteione, subiungitur:*

VConvérte nos, Deus, salutáris noster.

REt avérte iram tuam a nobis.

60. *Postea incipitur:*

VDeus, in adiutórium meum inténde.

RDómine, ad adiuvándum me festína.

Glória Patri. Allelúia **vel** Laus tibi, Dómine.

De antiphona et psalmis

61. *Deinde, sub antiphona convenienti, dicuntur tres psalmi, prouti Officium occurrens requirit.*

De hymno

62. *Repetita post ultimum psalmum antiphona, dicitur:*

Hymnus

TE lucis ante términum,
Rerum Creátor, póscimus,
Ut pro tua cleméntia
Sis præsul et custódia.

Procul recédant sómnia,
Et nóctium phantásmata;
Hostémque nostrum cómprime,
Ne polluántur córpora.

Præsta, Pater piíssime,
Patrique compar Unice,
Cum Spíritu Paráclito
Regnans per omne sáeculum.

Amen.

De capitulo et responsorio brevi

63. *Absolute hymno, dicitur sequens capitulum et responsorium breve:*

Capitulum

Jer. 14, 9

T

U autem in nobis es, Dómine, et nomen sanctum tuum invocátum est super nos: ne derelínquas nos, Dómine Deus noster. **R.** Deo grátias.

R. br. In manus tuas, Dómine, * comméndo spíritum meum. **Et repetitur:** In manus tuas, Dómine, comméndo spíritum meum.

V. Redemísti nos, Dómine, Deus veritátis.

R. Comméndo spíritum meum.

V. Glória Patri, et Fílio, et Spíritui Sancto.

R. In manus tuas, Dómine, comméndo spíritum meum.

℣ Custódi nos, Dómine, ut pupíllam óculi.

℟ Sub umbra alárum tuárum prótege nos.

A sabbato ante dominicam I Passionis usque ad feriam IV Hebdomadæ sanctæ, in Officio de Tempore, in responsorio brevi omittitur Glória Patri, et huius loco repetitur responsorium, ut sequitur:

℟ br. In manus tuas, Dómine, * comméndo spíritum meum. Et repetitur: In manus tuas, Dómine, comméndo spíritum meum.

℣ Redemísti nos, Dómine, Deus veritátis.

℟ Comméndo spíritum meum.

℣ In manus tuas, Dómine.

℟ Comméndo spíritum meum.

℣ Custódi nos, Dómine, ut pupíllam óculi.

℟ Sub umbra alárum tuárum prótege nos.

A sabbato ante dominicam in albis usque ad feriam VI infra octavam Pentecostes inclusive, responsorium breve dicitur hoc modo:

℟ br. In manus tuas, Dómine, comméndo spíritum meum, * allelúia, allelúia. Et repetitur: In manus tuas, Dómine, comméndo spíritum meum, allelúia, allelúia.

℣ Redemísti nos, Dómine, Deus veritátis.

℟ Allelúia, allelúia.

℣ Glória Patri, et Fílio, et Spirítui Sancto.

℟ In manus tuas, Dómine, comméndo spíritum meum, allelúia, allelúia.

℣ Custódi nos, Dómine, ut pupíllam óculi, allelúia.

℟ Sub umbra alárum tuárum prótege nos, allelúia.

De cantico Nunc dimíttis

64. *Postea ad canticum dicitur sequens*

Ant. Salva nos, * Dómine, vigilánte, custódi nos dormiéntes; ut vigilémus cum Christo, et requiescámus in pace (*T. P.* allelúia).

Canticum Simeonis

Luc. 2, 29-32

Nunc dimíttis servum tuum, Dómine, * secúndum
verbum tuum in pace:
Quia vidérunt óculi mei * salutáre tuum,
Quod parásti * ante fáciem ómnium populórum,
Lumen ad revelatióem géntium, * et glóriam plebis tuæ
Israël.
Glória Patri.

Ant. Salva nos, Dómine, vigilánte, custódi nos dormiéntes;
ut vigilémus cum Christo, et requiescámus in pace (*T. P.*
allelúia).

De oratione

65. *Repetita antiphona post* Nunc dimittis, *statim dicitur:*

V. Dóminus vobíscum.

R. Et cum spírítu tuo.

Vel:

V. Dómine, exáudi oratiónem meam.

R. Et clamor meus ad te véniat.

Orémus.

Oratio.

V. **V**isita, quæsumus, Dómine, habitatiónem istam, et omnes insídias inimíci ab ea longe repélle: Angeli tui sancti hábitent in ea, qui nos in pace custódiant; et benedíctio tua sit super nos semper. Per Dóminum.
R. Amen.

De conclusione Completorii

66. *Post orationem additur:*

V. Dóminus vobíscum.

R. Et cum spírítu tuo.

Vel:

V. Dómine, exáudi oratiónem meam.

R. Et clamor meus ad te véniat.

℣ Benedicámus Dómino.

℟ Deo grátias.

Bened. Benedícat et custódiat nos omnípotens et miséricors Dóminus, Pater, et Fílius, et Spíritus Sanctus.

℟ Amen.

67. Et non dicitur versus Fidélium ánimæ, sed immediate subiungitur una ex finalibus B. Mariæ Virginis antiphonis, quæ infra pro diversitate temporis assignantur.

ANTIPHONÆ FINALES B. MARIÆ VIRGINIS

I

A sabbato ante dominicam I Adventus usque ad diem 1 februarii inclusive:

Antiphona

Alma Redemptóris Mater, quæ pέρvia cæli
Porta manes, et stella maris, succúrre cadénti,
Súrgere qui curat, pópulo: tu quæ genuísti,
Natúra miránte, tuum sanctum Genitórem,
Virgo prius ac postérius, Gabriélis ab ore
Sumens illud Ave, peccatórum miserére.

Usque ad diem 23 decembris:

℣ Angelus Dómini nuntiávit Mariæ.

℟ Et concépit de Spíritu Sancto.

Orémus.

Oratio.

GRátiam tuam, quæsumus Dómine, méntibus nostris infunde: ut, qui, Angelo nuntiánte, Christi Fílii tui incarnationem cognóvimus; per passiónem eius et crucem, ad resurrectiόνis glóriam perducámur. Per eúndem Christum Dóminum nostrum. **R.** Amen.

A die 24 decembris:

V. Post partum, Virgo, invioláta permansísti.

R. Dei Génitrix, intercède pro nobis.

Orémus.

Oratio.

DEus, qui salutis æternæ, beátæ Mariæ virginitáte fecúnda, humáno géneri præmia præstitísti: tríbue, quæsumus; ut ipsam pro nobis intercédere sentiámus, per quam merúimus auctórem vitæ suscípere, Dóminum nostrum Iesum Christum, Fílium tuum. **R.** Amen.

II

A die 2 february usque ad feriam IV Hebdomadæ sanctæ inclusive:

Antiphona

Ave, Regína cælórum,
Ave, Dómina Angelórum:
Salve, radix, salve, porta,
Ex qua mundo lux est orta:

Gaude, Virgo gloriósa,
Super omnes speciósa,
Vale, o valde decóra,
Et pro nobis Christum exóra.

V. Dignáre me laudáre te, Virgo sacráta.

R. Da mihi virtútem contra hostes tuos.

Orémus.

Oratio.

Concéde, miséricors Deus, fragilitáti nostræ præsidium;
ut, qui sanctæ Dei Genitrícis memóriam ágimus;
intercessiónis eius auxílio, a nostris iniquitátibus
resurgámus. Per eúndem Christum Dóminum nostrum. **R.** Amen.

III

A dominica Paschatis usque ad feriam VI infra octavam Pentecostes inclusive:

Antiphona

Begína cæli, lætare, allelúia;
Quia quem meruísti portáre, allelúia,
Resurréxit, sicut dixit, allelúia:
Ora pro nobis Deum, allelúia.

V. Gaude et lætare, Virgo María, allelúia.

R. Quia surréxit Dóminus vere, allelúia.

Orémus.

Oratio.

DEus, qui per resurrectionem Filii tui, Dómini nostri Iesu Christi, mundum lætificáre dignátus es: præsta, quæsumus; ut, per eius Genitricem Víginem Mariám, perpétuæ capiámus gáudia vitæ. Per eúndem Christum Dóminum nostrum. **R.** Amen.

IV

A sabbato infra octavam Pentecostes usque ad feriam VI ante dominicam I Adventus inclusive:

Antiphona

Salve, Regína, mater misericórdiæ; vita, dulcédo et spes nostra, salve. Ad te clamámus éxsules filii Hevæ. Ad te suspirámus geméntes et flentes in hac lacrimárum valle. Eia ergo, advocáta nostra, illos tuos misericórdes óculos ad nos convérte. Et Iesum, benedíctum fructum ventris tui, nobis post hoc exsílum osténde. O clemens, o pia, o dulcis Virgo María.

V Ora pro nobis, sancta Dei Génitrix.

R Ut digni efficiámur promissionibus Christi.

Orémus.

Oratio.

OMnípotens sempitérne Deus, qui gloriósæ Vírginis Matris Mariæ corpus et ánimam, ut dignum Fílii tui habitáculum éffici mererétur, Spírítu Sancto cooperánte, præparásti: da, ut, cuius commemoratióne lætámur, eius pia intercessióne, ab instántibus malis et a morte perpétua liberémur. Per eúndem Christum Dóminum nostrum. **R** Amen.

Absoluta vero antiphona finali cum suis versu et oratione, concluditur:

V Divínium auxiliúm máneat semper nobíscum.

R Amen.

Et ita absolvitur cursus divini Officii.

APPENDIX FESTORUM

PLURIMIS GALLIÆ DIÆCESIBUS

Die 3 Ianuarii

S. GENOVEFÆ

Virginis

III classis [129]

AD MATUTINUM

Bened. Ad societatem.

Lectio iii

Genovéfa, Nemptodúri in Parisiensi agri nata, iam a téneris annis magna dedit exímiae virtútis indícia. Eam, adhuc puéllulam, sanctus Germánuus, Antisiodorénsis episcopus, Deo acceptíssimam ac vitæ sanctitate illústrem fore prædixit. Post áliquot annos, Genovéfa a Parisiórum episcopo in víginem solémni ritu consecrata est. Iugí oratione, abstinentia vix incredíbili, effusa in ægróti et páuperes caritate, patientia inter várias malevolórum calúmias semper invícta, non minus quam miraculórum dono ac multítudine evásit celebrírrima. Prophético spírítu plúrima prædixit, atque in primis Lutétiam urbem, oppidís áliis munitióribus subvérsis, ab Hunnórum

rege Attila, Gállias depopulánte, nihil detriménti passúram. Quod ita evenit, ac Genovéfa patrocínio datum est. Grassánte deinde fame et in summa annónæ caritate, eándem urbem pauperésque innúmeros magna fruménti et panis cópia abúnde sustentávit. Dénique, post actos in Dei servitúte octoginta et ámplius annos, méritis cumuláta, migrávit ad Dóminum, die tértia ianuárii. Te Deum laudámus 643.

AD LAUDES

V. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. **R.** Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Ad Bened. ant. Erat timens Deum, * faciens eleemósy-nas multas plebi, et dépre-cans Deum semper.

Oratio

Effúnde super nos Dómine, spírítum agnitiónis et dilectiúnis tuæ, quo ancíllam tuam Genovéfam implevísti: ut sédula eius imitatio-ne tibi sincére obsequen-tes; fide et ópere placeámus. Per Dóminum nostrum Ie-

sum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit et regnat.

AD VESPERAS

V. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. **R.** Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Ad Magnif. ant. Veni, Sponsa Christi, * áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum.

Oratio

Effúnde super nos Dómine, spírítum agnitiónis et dilectiúnis tuæ, quo ancíllam tuam Genovéfam implevísti: ut sédula eius imitatio-ne tibi sincére obsequen-tes; fide tibi et ópere placeámus. Per Dóminum nostrum Iesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit et regnat.

Die 18 Februarii

S. MARIÆ-BERNARDÆ
SOUBIROUS

Virginis

III classis [129]

AD MATUTINUM

Bened. Ad societatem.

Lectio iii

María Bernarda Soubirous in oppido Lapurdénsi paupéribus christianisque paréntibus ortum

duxit. A téneris annis exímias simplicitátis et innocéntiæ dotes exterióri specie pandébat. Anno millésimo octingentésimo quin-quagésimo octávo, super specum Massabielle, puellúla Beáta Virgo María plúries se conspiciendam obtulit et nomen eius enixe percontánti respóndit: Immaculáta Concéptio ego sum. Cum autem sollémne illud effátum aliáque cœléstia núntia sacerdotibus fidéliter transmísisset, et quo mélius humános declináret conspéctus, María Bernarda inter Soróres de Caritate et Instructiône christiána Nivérni admitti postulávit, ibique sanctimoniális exémpplar fidélis præ se tulit. Omnes cruces et diuturnas infirmitates, patientíssime sústinens, oratióni et dominicæ Passiúnis meditatióni frequenter incumbébat et Immaculátam. Víginem filiáli afféctu prosequébatur. Tandem, anno millésimo octingentésimo septuagésimo nono, expléto trigésimo quinto ætátis suæ, die décima sexta aprilis, obdormívit in Dómino. Quam Pius undécimus, Póntifex máximus, Sanctárum fastis adscrípsit. Te Deum laudámus 643.

(15) **Die 3 Iunii S. Clotildis Reginae et Viduae**

tam fecisti in pópulis virtútem tuam. (T. p. Allelúia.)

Ad Bened. ant. Cum invocásset Clotíldis * ómnium rectórem et salvatórem Deum, convértit Deus spíritum Clodovæi regis. (T. p. Allelúia.)

Oratio

Réspice, quæsumus, Dómine, ad Francórum benígnus natióem: et quibus per devótam sanctæ Clotíldis instántiam donum fidei contulísti; per eius intercessiónem, tribue sincérum christiánæ pietátis af-

féctum. Per Dóminum nostrum Iesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit et regnat.

AD VESPERAS

V. Tu es Deus, qui facis mirabília. (T. p. Allelúia.) **R.** Notam fecisti in pópulis virtútem tuam. (T. p. Allelúia.)

Ad Magnif. ant. Símile est regnum cælórum * hómīni negotiatóri quærēnti bonas margaritas: invēnta una pretiósā, dedit ómnia sua, et comparávit eam. (T. p. Allelúia.)

INDEX

		<small>pag.</small>
Genovefæ Virginis	3 ian.	(2)
Mariæ-Bernardæ Soubirous Virginis	18 febr.	(3)
Ioannæ de Arc Virg., Patronæ sec. Galliæ	30 maii	(4)
Clotildis Reginae et Viduae	3 iunii	(14)



AD MANUSCRIPTUM

**APPENDIX FESTORUM
PLURIMIS GALLIÆ DIŌCESIBUS**

Bonn / Denkendorf, verlag nova & vetera 2008

ISBN: 978-3-936741-79-7

Tous droits réservés. – All rights reserved.

www.novaetvetera.de

APPENDIX FESTORUM

PLURIMIS GALLIÆ DIŌCESIBUS

FASC. II

Die 3 Iunii

S. CLOTILDIS
Reginæ et Viduæ

III classis [128]

AD MATUTINUM

Bened. Ad societâtem.

Lectio iii

Clotildis, Chilperici regis filia, post paréntum necem a pátruo Gundobáldo, rege Burgundiórum, educata, adhuc éthnico nupta est Clodovæo. Suscéptos ab eo liberos baptizári imperávit; sed Francórum idólis adhæsit Clodovæus, donec in ácie Tolbiáci, ab Alemánis fere iam profligátus, a Clotildis Deo victóriam supplex deprecátus et adéptus est. Cui occurrrens regina, per Remígium sanctum antístitem, Clodovæum fidem edocéri procurávit, Rhemisque gáudens baptizátum aspexit. Mórtuo rege, Turónes ad sancti Martíni túmulum secédens, summa pietáte vitæ reliquum exégit: ibique plena diérum migrávit ad Dóminum.

Te Deum laudámus 372.

AD LAUDES

V. Tu es Deus, qui facis mirabilia. **R.** Notam fecisti in pópulis virtútem tuam.

Ad Bened. ant. Cum invocásset Clotildis * ómnium rectórem et salvatórem Deum, convértit Deus spírítum Clodovæi regis.

Oratio

Réspice, quæsumus, Dómine, ad Francórum benígnus nationem; et quibus per devótam sanctæ Clotildis instántiam donum fidei contulisti; per eius intercessiónem, tríbe sincérum christiánæ pietátis aféctum. Per Dóminum nostrum Iesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit et regnat.

AD VESPERAS

V. Tu es Deus, qui facis mirabilia. **R.** Notam fecisti in pópulis virtútem tuam.

Ad Magnif. ant. Símile est regnum cælórum * hómini negotiátóri quærénti bonas margaritas: invénta una pretiósâ, dedit ómnia sua, et comparávit eam.

Die 8 Aug. S. Ioannis Mariæ Vianney Conf. (2)

Die 8 Augusti

S. IOANNIS MARIÆ
VIANNEY

Confessoris

III classis [92]

AD MATUTINUM

Bened. Ad societâtem.

Lectio iii

Ioánnes Mariá Viánney, in pago Dardíly, diocésis Lugdunénsis, piis ruricolis ortus, plura dedit sanctitátis indícia. Cum octénnis oves custodíret, puérulos ad imáginem Deiparæ genufléxos, Rosárium, verbo et exémplo edocére solébat, et agris coléndis addíctus, de cæléstibus meditabátur. Páuperum amantíssimus, eos omnímmodo adiuváre in deliciis hábuit. Ut erat tardióris ingénii, divína ope imploráta, ac theologiæ cursu operóse confécito, dignus hábitus est qui sacris initiarétur. Párochus renuntiátus, omnino squálentis ac desértæ parécie faciém florentíssime renovávit. In consciéntiis iudicándis ac moderándis cotídie assiduus, atrocíssimas Sátanæ vexatiónes patienter tolerávit. Pia Missiónum exercítia in ámplius centum parécii instituit. Cum autem humíllime de

se sentíret, sancto fidélium desidério, in suam paréciam illum viséndi grátia étiam ex díssitis provinciis accurréntium, se subducere conabátur. Labóribus pótius quam sénio confécitus prænuntiáto suæ mortis die, in Dómino quíevit, die quarta Augusti anno millésimo octingentésimo quinquagésimo nono, annos natus tres ac septuaginta. Quem tot clarum miraculis Pius décimus inter Beatos, Pius undécimus inter Sanctos cælites, anno sacro, adscrípsit, anno vero quinquagésimo sacerdotii sui ómnium parochórum cælestem Patrónum constituit.

Te Deum laudámus 372.

AD LAUDES

V. Iustum dedúxit Dóminus per vias rectas. **R.** Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Bened. ant. Ipse est * diréctus in pœniténtiam gentis, et tulit abominatiónes impietátis, et in diébus peccatórum corroborávit pietátem.

Oratio

Omnípotens et miséricors Deus, qui sanctum Ioánnem Mariám pas-

(3) **Die 1 Oct. S. Remigii Ep. et Conf.**

toráli stúdio et iugi oratió-
nis ac pæniténtiæ ardóre
mirábilem effecísti: da,
quæsumus; ut, eius exem-
plo et intercessióne, áni-
mas fratrum lucrári Chris-
to, et cum eis ætérnam gló-
riam cónsequi valeámus.
Per eúndem Dóminum.

*Et fit commemoratio Ss. Cyriaci,
Largi et Smaragdii Martyrum:*

Ant. Vestri capilli cápitis
omnes numeráti sunt: nolíte
timére: multis passéri-
bus meliôres estis vos.

V. Exultábunt Sancti in gló-
ria. **R.** Lætabúntur in cubi-
libus suis.

Oratio

Deus, qui nos ánnua sanc-
tórum Mártyrum tuórum
Cyriaci, Largi et Smaragdii
sollemnitáte lætificas: con-
cède propítius; ut, quorum
natalítia cólimus, virtútem
quoque passiónis imitémur.
Per Dóminum nostrum Ie-
sum Christum Filium tuum,
qui tecum vivit et regnat.

AD VESPERAS

Ad Magnif. ant. Multi cre-
déntium veniébant confi-
téntes et annuntiántes ac-
tus suos.

V. Iustum dedúxit Dómi-
nus per vias rectas. **R.** Et
osténdit illi regnum Dei.

Die 1 Octobris

S. REMIGI

Episcopi et Confessoris

III classis [67]

AD MATUTINUM

Bened. Ad societátem.

Lectio iii

Remígius, adhuc iúvenis,
ad Rheménsem cathédram
adéptus est. Francórum gen-
tem, quorum regem Clo-
dovaéum sibi conciliáverat,
ad Christi fidem perdúxit.
Cum enim Tolbiáci Ale-
mánnis iam céderent Franci,
Clodovaéus, invocáto
nómine Dei Clotildis regí-
næ, quæ erat christiánæ,
statim hostes fugávit. Sua-
dénti episcopo ut baptiza-
rétur, respóndit rex se ver-
éri ne pateréntur commili-
tónes ut deos pátrios relin-
queret; sed exércitus eíus-
dem fidei amplectándæ
studiósum se significávit.
Ipsa ergo die Natáli Dómi-
ni, paucis annis ante sæculi
quinti finem, Clodovæus
Rhémis, ut vidétur, bap-
tizátus est simulque tria mil-
lia militum. Exímia fuit
Remígi episcopi erga páu-
peres liberálitas et clemén-
tia in pæniténtes singularis:
Neque enim, inquíebat, nos
pósuit Dóminus ad iracún-

Die 3 Oct S. Teresiæ a Iesu Infante Virg. (4)

diam sed ad hóminum
curam. Cum Ecclésiám su-
am septuagínta saltem an-
nos prudénter rexisset,
Rhémis obdormívit in Dó-
mino die décima tértia
ianuárii. Eius tamen me-
mória die prima octóbris
recólitur, quando sacrum
ipsius corpus fuir translá-
tum.

Te Deum laudámus 372.

AD LAUDES

V. Iustum dedúxit Dómi-
nus per vias rectas. **R.** Et
osténdit illi regnum Dei

Ad Bened. ant. Præsul Re-
mígius * baptisimi témpora
præparávit; et implétis mys-
ticis sacraméntis, regem
cum pópulo baptizávit.

Oratio

Deus, qui per beáti Pon-
tíficis Remígi docu-
ménta, gentem Francórum
ab idolórum vanitáte ad
veritátem tui cultus venire
tribuísti: da, quæsumus; ut
qui christiáno nómine glo-
riámur, fidem nostram dig-
nis opéribus ostendámus.
Per Dóminum.

AD VESPERAS

V. Iustum dedúxit Dómi-
nus per vias rectas. **R.** Et
osténdit illi regnum Dei.

Ad Magnif. ant. Gentem *
Francórum ínclytam, simul
cum rege nóbili, beátus Re-
mígius sacro mundávit gúr-
gite, et Spíritus Sancti plene
ditávit múnere.

Die 3 Octobris

S. TERESIÆ
A IESU INFANTE

Virginis
Patronnæ secundariæ
Galliæ

II classis [109]

AD I VESPERAS

*Quando festum celebratur gradu I
classis, omnia ut in II Vesperis
præter sequentia:*

Hymnus Nomen decúsque
ut infra ad Matutinum.

V. Ego autem in Dómino
gaudébo. **R.** Et exultábo in
Deo Iesu meo.

Ad Magnif. ant. Ego Dómi-
nus * sponsábo te mihi in
sempitérnum: et sponsábo
te mihi in iustítia et iudicio
et in misericórdia et in mi-
seratióne: et sponsábo
te mihi in fide.

Oratio

Dómine, qui dixísti: Ni-
si efficiámmini sicut pár-
vuli, non intrábitis in reg-
num cælórum: da nobis,

(15) **Die 9 Oct. SS. Dionysii Ep. et Soc. Mm.**

suis fidem christiánam ampléxus, ab eódem Apóstolo Atheniénsium ecclésiæ præfécus est. Póstea, ut tráditur, Romam véniens, et a Cleménte Pontífice missus in Gálliam, Lutétiam usque Parisiórum, cum Rústico presbýtero et Eleuthério diacono, Evangelium prædicávit. Ibi a Fescénnio præfécus omnes, quod Christum prædicarent, apprehénsi, váriis tormentis cruciántur, et deum securi feriúntur séptimo Idus Octóbris.

Te Deum laudámus 372.

AD LAUDES

V. Exsultábunt Sancti in glória. **R.** Lætábúntur in cubilibus suis.

Ad Bened. ant. Vestri cápiti * omnes numeráti sunt: nolíte timére: multis passéribus meliôres estis vos.

Oratio

Deus, qui hodiérna die beátum Dionýsium, Mártyrem tuum atque Pontíficem, virtúte constántiæ in passióne roborásti, quique illi, ad prædicándum géntibus glóriam tuam, Rústicum et Eleuthérium sociáre dignátus es: tribue no-

bis, quæsumus; eórum imitatio, pro amóre tuo prospéra mundi despícere, et nulla eius advérsa formidáre. Per Dóminum.

Et fit commemoratio S. Ioannis Leonardi Confessoris:

Ant. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constituam, intra in gáudium Dómini tui.

V. Iustum dedúxit Dóminus per vias rectas. **R.** Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio

Deus, qui beátum Ioánnem Confessórem tuum ad fidem in géntibus propagándam mirabíliter excitáre dignátus es, ac per eum in erudiéndis fidélibus novam in Ecclésia tua familiam congregásti: da nobis fámulis tuis, ita eius institútis proficere; ut præmia consequámur æténa. Per Dóminum nostrum.

AD VESPERAS

V. Exsultábunt Sancti in glória. **R.** Lætábúntur in cubilibus suis.

Ad Magnif. ant. Gaudent in cælis * ánimæ Sanctórum, qui Christi vestigia sunt secúti: et quia pro eius amóre

Die 6 Nov. In Dedicatione Ecclesiarum (16)

sánguinem suum fuderunt, ideo cum Christo exsultant sine fine.

Oratio

Deus, qui hodiérna die beátum Dionýsium, Mártyrem tuum atque Pontíficem, virtúte constántiæ in passióne roborásti, quique illi, ad prædicándum géntibus glóriam tuam, Rústicum et Eleuthérium sociáre dignátus es: tribue nobis, quæsumus; eórum imi-

tatióne, pro amóre tuo prospéra mundi despícere, et nulla eius advérsa formidáre. Per Dóminum.

Die 6 Novembris
**ANNIVERSARIUM
DEDICATIONIS
PROPRIÆ ECCLESIAE**

I classis [138]

Quarum dies anniversaria Dedicationis non innotescit.

Omnia ut in Communi Dedicationis ecclesiae.

AD MANUSCRIPTUM

INDEX

	pag.
Clotildis Reginae et Viduae	3 iunii (1)
Ioannis Mariae Vianney Confessoris	8 aug. (2)
Remigi Episcopi et Confessoris	1 oct. (3)
Teresiae a Iesu Infante Virg., Patronae sec. Galliae	3 oct. (4)
Dionysii Ep., Rustici et Eleutherii Martyrum	9 oct. (14)
Anniversarium Dedicationis Propriae Ecclesiae	6 nov. (16)

Tous droits réservés. – All rights reserved.

www.novaetvetera.de